15;02

EX ELECTORALI BIBLIO-
THECA SERENISS. VTRIVSQ;
BAVARIAE DVCVM.

<366076558700 18

<366076558700 18

Bayer. Staatsbibliothek

A. lat. b. 198

IN C. IVLII CAESARIS DICTATORIS VIRI DISERTISSIMI, ET Aulí Hirtij, ſeu Oppij, Commentaria de bello Gallico, Ciuili Pompeiano, Alexandrino, Africano, & Hiſpanienſi, Annotationes Io. Rhellica Tigurini:

In quibus multa contextus loca mendoſißima, partim quidem uariorum exemplarium collatione ſedula, partim uerò coniecturis nequaquam friuolis emendantur.

Vnà cum rerum & uerborum locupletiſßimo
INDICE.

BASILEAE
M. D. XLIII.
Sũ Ioh. Georgij à Werdenstein, 1577.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

IO. RHELLICANVS

LAVRENTIO AGRICOLAE

Vitodurensi, & Leonardo Hospi-

niano Stammenio amicis

S. D.

VVM *ante duodecim annos* Optimi *amici, & fratres*, Ber-*næ honestißimo stipendio con-ductus, publicũ bonarum litera-rum professorẽ agerem, & in-ter alia disertißimos Cæsaris cõ-mentarios studiosis prælegerem, pauculas quasdam annotatiunculas tantummodo in discipulorũ meorum usum effudi potius quàm scripsi: easdẽ amici quidam non plebei* Ioan. Vuirtius Brugensis, *&* Nicolaus Ar-topœus Balingius, *nũc* Curiensis, *tunc uerò* Dunensis *iuuentutis moderator, ut doctißimi, ita & pientißimi uiri ut describerẽt utendas accepêre.* Tandem Leonar-de noster *& tu ijsdem nõ tantum diu usus es: uerum-etiam alijs eas cõmunicans, & tuo & aliorũ nomine multis à me contendisti, ut uulgarem.* Ego autem tenui-tatis ingenij mei, *&* (ut Satyricus inquit) *quàm mihi*

curta domi ſupellex ſit, probè conſcius, non tam diffi-
cilem, quàm periculoſam ædendi prouintiam diu, mul
tumq; ut ſcis, detrectaui. Tacitè nanq; mecum reputa-
bam, nihil ab hirto, inculto, ac incircumſpecto ingenio
meo ſcribi poſſe, quod tam culto, & oculato ſeculo no
ſtro, aliqua ſaltem ex parte reſponderet. Et ut maxi-
mè aliquid literis, memoria, & luce dignum à me pro
diret: rurſus moroſulos, malignos, & rigidos ſeculi no
ſtri cenſores, Criticos, Ariſtarchos, imò Zoilos etiam
quoſdam metuebam, quibus nihil placet, niſi quod ipſi
faciunt. Quando autem de die in diem acrius inſtares,
ac idem improbius à me pro antiqua noſtra amicitia
flagitares: demum flagitantis improbitate victus ma-
nus dedi, ac eas adnotationibus in Cæſarem elimandis
ac locupletandis adieci, quid enim quis, rei præſertim
honeſtæ, amico tam ueteri, charo, ſyncero, conſtanti,
ac erudito negauerit? Has igitur magno quidem ſudo-
re, & ſucciuiſis tantum horis elaboratas, & utcunq;
abſolutas, nemini iuſtius dedicandas cenſui quàm uo-
bis: idq; multis nominibus. Vt enim taceam quod Leo-
nardo impulſore, iſtæ elucubratæ ſunt, & non ita pri-
dem Chriſtianis poëtis ab eodem donatus, arctiſſimæ
etiam cum utroq; amicitia mihi iam olim interceſſit.
Siquidem cum altero, hoc eſt Laurentio Cracouiæ in
Sarmatis, ſub eruditiſſimo uiro D. Rudolpho Agrico-

la iuniore Vuasserburgensi, Poëta & oratore clarissi mo, Præceptore cõmuni, politioribus literis, & studijs Geographicis sub Annum domini M.D.XVII. operam dedimus. Cum altero circiter Vigesimũ secundũ supra millesimũ quingentesimũ, Vuitenbergæ in Saxonibus à D D. Martino Luthero, & Philippo Melãchthone præceptoribus nostris doctissimis, fidis, semperq; ob id nobis reuerendis, simul cum Græcis literis, artibus disserẽdi, ac dicẽdi, sacrosanctæ quoq; Theologiæ rudimenta pro nostra uirili hausimus. Et quanquam ista necessitudo iuuenilibus annis cõtracta, non tamen (quod plerunq; fieri solet) nobis uiris iam factis soluta est. Quinimo cũ in Cœnobio Steinensi sub annũ natalis Domini M.D.XXV. ductu Tigurini Senatus sacras literas profiterer, cũ utroq; simul non infeliciter renouata est. Tum enim mutuis beneficijs, colloquijs et conuiuijs literatis, alij alios iuuabant, & oblectabant. In quarũ rerum perpetuam memoriam, & animi mei erga uos gratitudinẽ, hasce lucubrationes, uobis nominatim dedico: rogoq; ut à maleuolorum & uitiligatorum sannis, & ronchis eas tueamini. Non enim defuturos sat scio, qui clamitent: Quis hic nouus & semidoctus scriptor, qui primus in Cæsaris cõmentaria enarrationes scribere ausus: quod hactenus ob negotij per-

plexitatem in tanto eruditorũ uirorũ prouentu nemo aggressus est? Quos hoc unum rogatos uelim, ut scribentem non prius condemnent, quàm scripta legerint eaq; diligenter, & absq; affectu perpenderint. Hoc enim si fecerint, dispeream si non æquiorem de me sententiam tulerint. Tametsi nanq; non omnia ad amussim & perpendiculum quadrent, sed rudem ac indigestam alicubi rerũ ac uerborũ seriem, & lapsus quàm plurimos deprehenderint: tamen dicent in magnis & uoluisse sat est. Et ut maximè tanquã malus, et imperitus gubernator tantũ pelagus primus tẽtauerit, & navim aliquoties in scopulum impegerit: tamen quia alijs minore cũ periculo nauigaturis uiam mõstrauit non est uituperãdus. Neq; enim turpe fuerit multos in eundem autorẽ cõmentari: dummodo unusquisq; sua candidè alijs impertiat, & argumẽtis non cõuitijs, ac contumelijs cum antecessore pugnet. Id quod à doctissimis simul, & laudatissimis Grammaticis Acrone, & Porphyrione in Horatium: Seruio, Donato, Landino, & Mãcinello in Virgilij opera factitatũ uidemus. Quod utinã docti ac synceri uiri, quisq; in sua regione (quæ à Cæsare describitur) illustranda conarẽtur: in spẽ erigerer fore, ut multi loci in eo obscurissimi perquã lucidi redderentur. Quod & propediẽ futurũ spero. Etenim audio apud D. Henrichũ Glareanũ poẽtã Heluetiũ ac

virum

xirũ de meliorib. literis optime meritũ cõmentationes in eundẽ Cæsarẽ iam aliquot annos delitescere. Quas si hisce meis quamlibet incõditis, ut publicentur extorsero, an nõ satis magnũ studiosi hinc emolumentũ capiẽt? Sin uerò alicui magis placet couitiatorẽ quàm disputatorẽ mecũ agere, per me quidẽ ei licet. Nec enim Christo duce & auspice, criminatorem recriminabor: sed hoc unum ei nunc occino, ut ipse aut meliora edat, aut si nõ potest, aliena suggillare desinat. Sufficit nãq; mihi cum mea, tum uestra conscientia, quod non inanis gloriæ studio, sed uestro impulsu, & iuuentutis iuuandæ gratia in legẽdis historijs hunc laborẽ susceperim. At nec ego ineptas sum, qui patrocinũ uestrum aduersus momulos istos imploro, ac perinde causam meã uobis agendã propono, quasi indocti ac stupidi causidici & rabulæ sitis, & uos nõ multo meliora argumenta ad tuendã non tam meam quàm uestrã lucubrationem inueneritis, idq; procul dubio uobis curæ erit. Si quis nanq; me temeritatis, ac insciticæ in commentando accusauerit: nõ tam ego quàm uos, in uitio eritis: quippe qui me renuentẽ ad edendũ cõpuleritis, è contra si quid cõmodi ad studiosos adolescentes (quibus potissimum isthæc elucubrauimus) inde manauerit, qui ex eis grati sunt, uobis quoq; gratias habebunt, & agent: quippe quarum impulsu hæc qualiacunq; recognita,

ducta, & publicata sunt, unde ipsi profecerunt. Quo circa non est quod multis uobiscum hac de re agam quin potius rogẽ, ut animi mei erga uos beneuolentiã & gratitudinem potius, quàm tenue hoc, & chartaceum quidem munusculum respiciatis: & Rhellicanũ uestri studiosissimum & amantissimum (ut hactenus feciſtis) pari studio & beneuolẽtia foueatis, redametisq;. Valete feliciter, Tiguro, Pridie Nonas Aprileis Anno M.D. XL.

AVTORVM QVI IN HISCE IO. Rhellicani Annotationib. citantur nomenclatura.

Aegidius Tschudi
Agathias
Alexander Curtianus
And. Alciatus
Ammianus
Angelus Polit.
Antoninus
Beatus Rhenanus
Beda
Beroaldus
Budæus
Cælius lect. antiq.
Conradus Celtis
Cornelius Tacitus
Q. Curtius
Donatus Acciolus
Eratosthenes
Eusebius
Eutropius
Flauius Vopiscus
L. Florus
A. Gellius
Glareanus
Hermolaus Barbarus
Herodianus
Holhardus
Hubertus Leodius
Ioachimus Vadianus
Iornandis
Iulius Capitolinus
Lucanus
Lucianus
Ludouicus Pius
Liuius
Laurentius Phryſius
Marcellinus
Marlianus
P. Oroſius
Ouidius
Priſcianus
Procopius
Ptolemæus

NOMINA AVTORVM

Pyrcheimerus
Io. Pollio Bilueldanus
Polybius
Quintilianus
Raimundus Marlianus
Regino Abbas Prunien.
Rudolphus Agricola
Sabellicus
Sisenna
Strabo
Tripartita historia
Varro
Vegetius
Volateranus
Vuitichindis

RERVM ET VERBORVM IN ANNOTATIONIBVS hisce sequentibus memorabilium diligentissimus Index.

A

ABbatia Discernitis 113 a
abbatis cella 66 a
abduabis fluuius 80 a
aborigenes 15 a
acceptum ferre 282 a
achilles contra Memnonem 326 b
achillis patria 253 b
acronius lacus 78 b
acta Cotti 116 b
adijcere telum 95 b
adrumentum 221 b & pag. 292 a
aduatici 97 b
adunantium 63 b
adytum 262 b
æger 150 a (46 b
æglisoniensis præfectura 214 a
ægrotus 150 a
æmus mons 232 a
æquinoctium autumnale erarium

ærarium Romæ 190 b
ætuatij 112 b
africus uentus 240 a
agar 310 a
agendicum 153 b
ager 24 b
agros quidam tempore belli incenderũt 26 b
agger 94 a
agrippinenſes 110 b
aha 43 b
ἀκσπὶς 221 a
alarij 85 b
alauda 72 b
alba Colonia 191 b
albici 200 b
albienſes 200 a
albis 153 a
albion 116 b
albeſia ſcuta 299 b
alcis figura 147 b
aldenburg 98 a
alduaſduſius 80 a
alemanni 74 b
alerci 162 a
alexandria potitur Cæſar 182 b
alexandrini ingenioſiſſimi 269 a
alexia 16 a 163 b
pag. 244 a
allobroges 24 b
alpes 72 b
alodienſes 92 a
alſatiæ nobilitas cum reliquis ciuitatibus contra Tigurinos 45 b
alſatij 86 b
alſetum 163 b
atlas 140 a
altorff 50 b
altſtetten 36 b
ambactus 72 b &
pag. 143 a
ambarri 34 b
ambiani 90 b
ambianenſes ibidem
ambibarij 166 b
ambiliates 101 b
ambilates 102 a
ambiori-

ambiorigis oratio 132 a
ambinarati 111 b
ambratia 241 b.
ambrones 18 a
ambruareti 161 a & pag. 166 a
ambulatoriæ turres pag. 120 a
amphilochicum 246 b
amphipolis 260 b
ana 201 b
anartes 146 a
anasius flumen 87 b
andelfingensis præfectura 46 b
anglicanus fluuius 129 b
angliſter 50 b
angſter 50 b
angloſaxones 119 a
annaria lex 230 b
annona 205 b
annotinus 124 b
antepilani 203 b
anteſignani 203 b
anticato 8 a
antiochenſes 26 a
antipater Iudæorum primogentiſſimus 275 a
antoninus philoſ. 74 b
antuates 67 b. & 100 a
apenninus 14 a
apollonia 236 a
apollonius præceptor Cæſaris 1 a
aponiana inſula 29 b
apparatio 217 b
apparitores 302 b
apſum flumen 252 b
aprouins 153 b
aquitanica Gal. 14 b
aranitium 146 b
araniſci 146 b
arar 34 b
arberga 35 b
arbores conſerere 94 b pag. 164 b
arburgum 36 a
ardua ſylua 140 b

arduenna

arduenna ſylua 148 a
pag. 123 a
arelate 217 a
arelatum 201 b
aremici 163 a
aremorica 135 a
argaudia 48 b
Argentinenſes 86 b
aries 155 b
ariminum oppidum 189 b
ariobarzanes 188 a
ariorica 64 a
Cum Ariouiſto ubi pugnatum 85 a
aritia oppid. 190 b
armatura leuis 96 a
armigne 153 a
armorica 135 a
arogæa 64 b
arouia 36 a
arræ 90 b
arretium 190 b
artonici 153 a
arula 35 b
aruuangia 36 a
aſcolde 149
aſciburgium 140 b
aſculum Picenum 191 b
aſia 277 b
aſparagum 243 a 252 b
aſsis 220 a
aſta 27 a & aſtenſes
pag. Ibidem
aſtigitanus 220 a
atacinorũ colonia 152 b
ategua 324 a
atrebates 90 b
atribatij 90 b
atuacum 133 b
aturi fluminis oſtia
pag. 107 b
auaricum 154 a
auaritia multi ducti regiones ſuas mutarunt
pag. 77 b
auaritia & crudelitas Scipionis 241 a
andes 98 b
in autoribus enarrandis ordo 1 a
auenticen

auenticensis ager 65 b
pag. 66 b
auenticum 25 a 65 b
auergue 77 b
auerni 83 a 163 a
auerto & auertor 238 b
Augusta Rauracorum
pag. 26 b
augster 50 b
augustabona 139 a
auignon 153 a
aulerci 98 b 161 a
auliorci 162 a
aurea Cherrhonesus
pag. 270 a
aurelia 151 b
aurelia mater Cæsaris
pag. 1 b
D. Aurelianus Imp.
pag. 74 b
aurinia 85 b
ausci 107 b
auscitam 107 b
autum 25 b
axona flumen 92 b

B

BAccis lethale uenenum ineſſe
pag. 148 b
bacenis 139 b
ad bacillum recipere
pag. 57 b
bactri 118 a
badenſis præfectura
pag. 46 b
bætij 51 b
baleares inſulæ 297 a
baleares funditores 93 a
baliſta 120 a
barcenis 140 a
bardi 141 b
bardani 232 a
barri 34 b
baſcon 208 b.
Baſilea 66 a
baſilienſis ager 26 b
baſilica 280 b.
bataui 112 a
batzij 51 b.
bauari 87 b.

bayetur

bayetur 91 a
Beati Rhenani laus
pag. 1, b
beaumois 90 b
becus 72 b
belgæ 22 a
belgæ quam regionem in
uaserint 75 b
belgi 123 b
belgica 14 b
bellicenses 33 b
bellocasses 91 a
bellocassij 91 a
& bellocassium Ibidem
bellouaci 90 b
bellouacenses Ibidem
bellum 9 a
bellum facere 108 a
belli ciuilis initium
pag. 181 a
belli ciuilis causa
pag. 176 a & b
bellica porta 227 b
Benedictus Vinslerus
pag. 308 b
beneficiarij 211 a
berlinum 79 b
berna 66 a
bernardi mons minor
pag. 32 b
berones 281 b
Bertoldus dux à Zerin-
gen 53 b
besanson 80 a
beloſa fluuius 286 b
beßi 232 a
bethica 321 b
bethuria 326 a
biblis 243 a & byblon
pag. Ibidem
bibracte oppidum 60 b
bibracte Litauicum
pag. 161 a
betis flumen 284 a
bibrax 92 b
breluenſes 66 a
bigera caſtrum 107 b
bigerriones 107 b
bigerrenſes 107 b
bilappij 126

bisantz 80
bisontes 147 b
bituitus Auernorum rex
pag. 82 b
biturices 34 b
bituriges 152 a
blicus 275 b
bœotij philosophi laus
pag. 325 b
bogud rex 285 b
bogudiana Mauritania
pag. 298 b
bohemica sylua 140 b
boij 27 b
bonæ pino 35 b
bos Indicus 147 a
borbonius dux 77 b
borbonienses 34 b
bosleduc 97 b 134 a
bosleducenses 97 b
brabantini 111 b
barbantini 134 a
brachata 14 a
brachia metaphorice
pag. 176 a
brandenburgum 79 b
brannonij 161 a 166 a
brannonices 161 a 166 a
bresse 162 b
brientiensis lacus 35 b
briguicus 27 a
brigantinum nauigij genus 279 a
britannia 70 a
In Britannia mulieres nudas in sacris incedere
pag. 128 b
britanniæ circuitus 128 b
britanni auxilia à Saxonibus petunt 116 b
britannicæ naues 206 b
britones 70 a
Βρόσκεν 71 b
brugæ 36 a
brundusium 194 a
brundusiorum perfidia
pag 197 b
bubali 147 b
buchornum 78 b
bulachium 276 a

bur uocabulũ unde 72 a
burgundiones 19 b
burgundia Cisiurana pag. 64 a
burgundiæ comitatus pag. 25 b
burgundiæ partes duæ pag. 34 b
burgundiacæ terræ uber tas 78 a
butrotum 234 b
byrena 35 b

C

CAbilonni 168 a
cabullinum 158 b
cadetes 166
cadurci 163 a 166 a
cæræsi 92 a
cæsarea 285 b
cæsariensis Mauritania pag. 298 b
cæsar sobrius ad euertendam rempublicam accessit 4 a
cæsar parum diligenter commẽtaria sua scripsit 186 b
cæsar seipsum interficere uoluit 183 b
cæsaris nomen unde 8 a
cæsaris uita 1 b
cæsaris eloquentia 9 b
cæsaris statura & infortunium 2 a
cæsaris æstus 88 b
cæsaris fortitudo in bello pag. 3 b
cæsaris uitia 5 a & mors 7 b
cæsaris dictum de militibus territis 328 a
cæsaris dictum de Pompeio 181 a
cæsaris locus 107 a
cæsares unde dicti 8 b
calaris 318 a
calabrum littus 238 a
calaguritani 208 b

calcei lanati 312 b
caledonia 125 a
cales 91 a
caleti 91 a
camaldunum oppidum pag. 126 b
cambray 130 b
cameracum 130 b
camerinum 191 b
cancelli 294 a
canchi 113 b.
candauia 234 a pag. 253 b
cannenusatum 113 b
canere classicum 159 a
canetellum 157 a
canonici ad prædicandũ uerbum dei adstricti olim 53 b
canopicum ostium 268 a
canopus 274 b
cantabri 107 a
canthone 36 b
cantium 125 b
caors 166 a
cæcum 300 b
cœnobium S. Mauritij pag. 100 a
capreoli 317 b
caput porcinum 150 a
caralitani 197 a
caralis 197 a
carmæ 196 b
carnici 87 b.
carnutes 98 b 131 b 135 b pag. 151 b
carnutum 131 b
Carolus Crassus 42 b
carolus Burgundiæ dux ab Heluetijs occisus pag. 35 a
caron 244 b
caruanca 87 b
Caspar Megander 55 b
L. Cassius Ro. Consul. pag. 56 b
L. Cassius Cons. à Tigurinis occisus 37 b

castella

castella 31 a 93 a
casticus 25 b
castletenses 91 a
castra quina 233 a
castra contrahere 158 b
catapulta 300 b
catilacus 40 b
cato repulsam æquo animo tulit 186 b
catonis dictum de sua tacitumitate 198 a
catonis crudelitas in seipsum 316 b
cattus 156 a
catti 109 b
caturiges 32 b
catuaci 91 b
cauarinus 135 b
cauillonum 168 a
caurus 124 a
causiæ 93 b
cautus & cautum pag. 138 a
cella uinaria Ethnicorum 39 b
cellensis lacus 144 b
celtæ 17 b
celtica Gal. 14 b
cemmeni 89 b
cemmenij montes 196 a
cenabum 151 b
cenomanni 89 b
centrones 134 a
& centron ibidem
pag. 32 b
centuria 61 a
centurio primarius pag. 204 b
cerceti 241 b
cercinna insula 293 b
cetrati 202 b.
chama Curtis 49 b
chamani 110 a
charades 78 b
charam 244 b
charties 98 b
cherſoneſus Cimbrica pag. 79 a

cherrhonesi quatuor pag. 270 a
cheruſci 92 a
cheruſcorum ſedes 141 a
chiallon 158 b
χιλίαρχος 80 b
chnououinienſis præfectura 46 b
chorſicæ 247 a
chyburgenſis præfectura 46 b
cicero à quo eloquentiæ primordia hauſit 2 a
cinga 205 b
ciſalpina Gallia 13 b
citra 36 a
ciuitas quid 23 b
ciuilitas Cæſaris 4 a
clam 330 a
clepſydræ 128 b
cleues 91 a
clitellaria iumenta 212 a
cluſa 28 b
clupæ 221 a
clupea 292 a
clypeæ 221 a
coactu 132 b
cobolentz 114 b
cohlearíorum conſpiratio 30 a
cohortes aliarij 210 a
collegij inſignis deſcriptio 53 b
colonienſes 110 c
colonarium 240 b 241 a
columnaria tributa pag. 240 b
comata Gallia 14 a
comes 58 a
comites de Fluſſo 107 b
commeatus uocabulum pag. 312 a
commentarius & commentarium 8 c
committendus 239 a
committere prælium pag. 87 c
compoſita an geminanda

da 171 b
conclamari 252 b
condrotz 149 a 138 b
condrusi 92 a 149 a
condrusones 111 a
confluens 114 b
conijcere se in fugam pag. 96 b
Conradus Pellicanus pag. 55 b
conradi Celtis locus restituitur 145 a
considius Longus 301 a
consopitenses 166 a
constabulum 45 a
constans Cõstantij filius pag. 117 a
constantius Ro. Imp. pag 74 b
consultores temerarij taxantur 135 a
copia 301 b 293 b
copias pro diuitijs sumi pag. 78 a
coralli 232 b
corauaide 166 b
corcesi 92 a
corcyra 234 b
corduba 220 b 321 b
cordubensis 220 a
corfinium 191 b
cornelia Cinnæ cõsulis filia 1 b
Cor. Taciti locus 111 b
corneliana castra 222 a
corui 51 b
corus 124 a
cossutia 1 b
cothon 308 b
cracouiæ nox & dies horam solidam superãt nostrates 126 a
crimen intentare 321 b
croaci 78 b
cuneus 150 a
cuniculorum agẽdorum autor 106 a
Curier 58 b

currier 58 b
curioſolites 98 b
& 166 a
cyreni 232 b
cyrenaica ibidem
cymbrica Cherrhoneſus
pag. 270 a

D

Dackenſes duces
pag. 144 b
die uon Deck 144 b
dalmatæ 233 a & Dal=
matia Ibidem
dare fidem 25 b
dare ſignum 209 b
daſburgum 115 b
decumani fluctus 300 b
decumanorum colonia
pag. 152 b
decuria 60 b
decurio 61 a
decuriones 190 b
decurrit 95 b
defectus 170 b
defetiſcor 170 a
Deiotarius rex Arme-
niæ 231 b
delta locus 275 b
denarius 206 a
denarij octo ualent aure=
um rhenenſem 206 a
depoſitaria poſſeßio
detenſus 256 a (219 b
detergere remos 208 b
detius præfectus 44 a
dextræ famulæ 210 b
diablintres 101 b 102 a
dieros nauigij genus
pag. 279 b
dies longißimæ 127 a
dilemma 274 b
dinocrates architectus
pag. 268 a
diſceßionem fieri 179 b
diſne 92 b
doaci 91 b
dog 72 b
doggenburgij 27 b

domitum

domitium uenemum hau
sisse 193 a
dorienses 15 a
dornachensium castra
qualia 259 a
drachma 206 a
drasidæ 15 a
drauranches 102 a
druidæ 141 b
ducenarius 204 b
dun 72 b
dunum oppidũ 35 b 72 b
dura 49 a
durdorff 49 a
duregum 43 b
durgeus ager 66 b
durich 49 a
duumuiri 193 b
dumnorix 25 b 60 b
dij Germanorum 85 b
dynastæ 287 b.
dyrrhachus ex Neptuno
natus 194 b
dyrrhachium 194 a

E

Ebroduuensis lacus
pag. 65 a
eburonum rex 131 b
eburones 92 a
edures 87 a
eglisonia 47 a
Ey 31 b
Eidgnoschafft 23 b
elargiti 280 b
elauer 157 b
elcebum 86 b
elis 262 b
elisacensis pagus 64 b
eloquentiæ uis in Catone
pag. 197 b
elui 153 a
engistus dux 117 a
Ens 87 b
epibates 270 a
epibatæ 296 b
epidamnus urbs 194 a
epidamnus rex 194 b
epidaurus 279 a

ἐπιβατεύω 270 a
epodorix 158 a
equestres 67 b
Eraſmi Roterod. patria pag. 112 b
Eraſmi Rotero. Vinum pag. 78 a
eremitana in Heluetijs ſylua opaca 145 b
ergaſtulus 237 b.
eridanus 17 b 131 a
eritius 249 b
erudare 267 b
eſquiliæ 196 b
Eß oppidum 131 a
eſſe 71 b
eſſedum 72 b
eſſui 130 b
Et oppidum 131 a
eteſiæ uenti 263 a
eunoë Bogudis regis Mauritaniæ uxor 7 a
eunoſti portus 265 b
euocati 192 a
exemplũ pro exemplari pag. 264 a
exerceor 173 b
exiſini 93 b
exploratoria nauigia pag. 120 b
exuperantius 44 a

F

Facere bellum 108 a
falx 104 a
fames inſignis Gebennæ pag. 30 a
faſces apud aliquem eſſe pag. 167 a
fauces portus 238 b
felix ſub quo Cæſare paſſus 44 a
ferentani 227 b
ferriſodinæ 74 b
fidem ſuam interponere pag. 285 a
fiduciarium regnum pag. 274 a
fiduciaria poſſeßio 219 b

flagitare pro flagitabat pag. 59 b
flagitor 213 b
flandria 21 b 91 a
fleuus 114 a
fluſſates 107 b
fluſtates 107 b
flymſs 113 a
franci 110 a
Franſciſcus Negelinus pag. 28 b
friburgũ in Nuichthonibus 66 a
friſiabones 113 b
frouuenfeldia 94 b
frugalitas Neruiorum pag. 19 a
frugalitatis commoda pag. 94 b
frumenta in ſubterraneos ſpecus condere pag. 309 b
fugam petere 96 b
fuſcinus lacus 191 b
furier 58 b

G

Gabali 152 b 163 a
gabillone 35 a
gabreta 140 a
gades 220 a
gaditanus 220 a
gaditani 219 b
gadol 71 b
gaienſes 67 b
galatia 288 b
Galatæ 15 a
galio nauigij genus pag. 279 a
galba 71 a
galliæ deſcriptio 13 a
galliæ longitudo & latitudo 14 b
gallus 18 a
galli 15 b 102 b
galli Rhenenſes 102 a
galli molliſsimi 105 b
galli linguæ Græcæ ſtudioſi 68 b

In Galliam, loquendi modus 131 b
gallorum consuetudo cũ rumorẽ aliquem percipiunt 158 b
gallorum origo 15 a
gallorum idioma 69 b
gallis omnibus olim an eadem lingua 71 a
gallograecia 288 b
ganzam 72 b
garites 107 b
garoceli 32 b
garumna 102 b
gebenna 29 b 153 a
genabum 131 b
pag. 151 b
genff & beneu 29 b
geneuenses per Bernates obsidione liberantur pag. 30 a
geneuensium lingua pag. 76 b
gelrhenses 102 a 114 b
Georgius Sophocardius Scotus 129 b
gergobia 152 a 153 a
gergouia 2 b 152 a
In Germania multa fera rum genera 147 b
germani 16 a
germani frugiferam terram quæsiuerũt 67 b
germanorum deformia iumenta 163 a
germanorum superstitio pag. 85 b
germanis magnitudo corporum 80 b
germanis mos promiscuè in fluminibus perlui pag. 110 b
gerseorum rex 117 a
gerestum 251 b
gheler 91 a
gladijs longis uti Heluetios 105 b
glandes 167 a
glarona

glarona 66 a
glaſtum 128 b
gleſſum 72 b
gordunni 134 a
goricenſis Comitatus pag. 87 b
gothi Vriam occuparũt pag. 75 b
gothini 73 b
guadachiber 322 b
Guilhelmius Peterſonius Anglus 117 b
guinnen 22 b
guardia 82 a
De gradu deijcere 282 a
grauenonia 74 a
græca cherrhoneſus pag. 270 a
græci, qui Iudæis 16 b
grub 113 a
grudij 134 a
gruninga 47 a
gruningenſis præfectura pag. 46 b.
grummus 324 a
gryphilacus 46 b. 47 a
gryphenſis lacus 40 b
gryphilacenſis præfectura H 46 b
Harpagones 167 a
Huff dem hartz pag. 140 b
harudes an ſint Conſtantienſes 78 b
haſtatus primus 204 b
haſtati 204 b
hedui 82 b
hedui Burgundiæ ducatũ inhabitarunt 25 b
hedui fratres à Romanis appellati 60 b
heduorum libertas 60 a
heduorum ditio ampla pag. 161 a
Heinrichus Bullingerus pag. 55 b
helimus 114 a
heluetica ciuitas 23 b

Heluetia ciuitas in quatuor pagos diuisa 36 a
Heluetij olim Quadi dicti pag. 91 a
Heluetij an olim linguæ Græcæ studiosi 68 b
Heluetij ad concordiam admonentur 79 a
Heluetiorum fines usq; ad Geneuam 27 a
Heluetiorum luxus extalia & Gallia 94 b
Hercynia 140 a
Hercynia sylua 27 b
Hercyniæ sylvæ initium pag. 147 a
Herculis Aegyptij templum 220 a
Hermannus Comes Neuenarius 115 b
Hertum 73 a
Hessi 109 b
Hibridæ 296 b
Hippo 260 b 317 b
Hippotoxotæ 232 a 296 b
Hirtij mentio 169 a
Hispalis 220 a
Hispalensis conuentus pag. 326 a 220 a
Historiæ usus 10 a
Hochbrug 110 a
Hollandi 112 b
Holsatia 79 a
Homm 149 a
Hominum genera tria pag. 141 b
Horologia arenaria pag. 128 a
Hortatus 321 b
Hubertus Leodius 22 a
Huldrichus Zuinglius pag. 54 b
Hunni 21 a
Hunni Vriam occuparũt pag. 75 b
Hasliensis tractus 35 b
Hyems pro tempestate pag. 233 b

Hyempsa-

hyempſalis rex 306 a
hypæ 208 b

I

Berniæ latitudo 125 b
Ilantz 113 a
ilerda 208 b 236 a
ilerdæ deſcriptio 202 a
imagines ſex lapideæ in quodam Cænobio pag. 142 a
imperatoris nomen pag. 222 a
imperatoris fortitudo multum prodeſt 81 a
imperatoris boni officiũ pag. 252 b
indicus bos 147 a
indicere bellum 316 a
indutionarius 135 b
inducіarum pactũ 114 a
infectatus 311 a
infenſus 258 a
infeſtare 258 a
infeſtus 258 a
inſtar 273 a
inſtructorium 217 b
intercedere pro impedire pag. 185 b
Interlacenſe oppidũ 35 b
interponere pro interponebat 124 a
ioachimi Vadiani laus pag. 25 b
ioannes Theophilus pag. 142 a
ioannes Burcheirus Anglus 69 b
Ioannes Butlerus Anglus pag. 69 b
Ioannes Aeſcherus 47 a
ioſcedum 162 a
ioſedum 162 a
iſſa 280 a
iſthmus 246 b
italica Hiſpaniæ oppidũ pag. 281 a
italiæ noua regio 131 a
Itiobriges 152 a

itius

itius portus 119 b
iuba Mauritaniæ rex
pag. 183 a
iubati 147 b
in Iudicijs ueterum mos
pag. 254 b
Sub iugum mittere
pag. 57 b
iulia filia Cæsaris 1 b
iuliacenses 91 a
iulius à Iulio 8 a
iumenta farcinaria
pag. 212 a
iura mons 24 b
iurassus 24 b
iurasßi rupes 48 b
iurten 24 b
Iusiurandum dare 25 b
iuerdunensis lacus 65 a
iusticia Cæsaris 3 a

K

Kalmuntz 74 b
Kam 74 b
Konigstein 110 a

L

Labienus legatus
A Sene 34 b.
Cæsaris 36 b
lacobrutinum promonto
rium 201 b
laminitanus ager 201 b
langies 63 a
langobardia 14 a
langones 63 b
lapsana 244 b
lapsus 218 b
larissa 253 b
larissæus Achilles
pag. 253 b
larma 58 b
latobrici 27 a
latobrig 27 a
latobrogij 17 a
latouici 27 a
lausanenses 27 a
lausanensis lacus
pag. 25 a
lausoys 163 b

leber-

leberberg 24 b
lecki castrum 308
lectorienses 107 b
ledouix fluuius 80 a
legio 30 b
leidrachus 53 a
lemanus lacus 24 a
lemone 173 a
lemouices 173 a
leo iud 55 b
leodiensis sylua 123 a
leopontij 27 b
lepontij 66 a
pag. 113 a
leptis 282 b
lerman 58 b
leuaci 134 a
leuchtiger Vuald 122 a
leuca 72 b
leuci 63 a 81 b
leuga 72 b
leuis non semper in ma-
lam partem 187 b
lex annaria 230 b
lexobij 101 b
lexouij 123 b
liberæ pro uinciæ præfe-
tura 46 b.
libra 220 a
liburnæ 233 a
lictores 302 b
lictores duodecim 263 a
liege 92 a
ligeris flumen 101 a
liesieux 102 a
lieutenier 58 b
ligrarius Afranianus
pag. 309 a
lignorum fabri multi
apud Burgundiones
pag. 20 b
lilybæum 291 a
limagus fluuius 40 b
lingones 63 a
lingula 103 a
locarnenses 47 a
locum tenens 58 b
lodienses 92 a
loire

INDEX

loire 101 b
loria 140 b
lotoringia 21 b
lotharingi 26 b
louanum 98 a
lucani patria 220 b
lucerna 66 a
lucernani 46 a
lucigaunenſes 46 b
ludouicus rex orientalis Franciæ 49 a
luganenſes 46 b
lugdunenſis Gal. 14 b
lugnitia uallis 113 a
lunati calcei 312 b
lupi 167 a
luſitania 201 b
luſtrare 174 b
lutetia 133 b
lutiner 58 b
luxus malorum agmen ſecum fert 94 b.
λύκιμ 71 b

M

Macon 168 a
madiuallenſes pag 47 a
magiſtratus Tigurinus pag. 44 b
magiſtratibus Heduorũ finibus exire fas non eſt 59 b
magius præfectus fabrûm Pompeij 176 a
magus 72 b
malaca 286 b
μαλακία 101 b
malatia 104 b
malleoli 271 a
mandare ſe fugæ 96 b
mandibuli 163 b
mandubij 163 b
mane 303 a
manipulus 61 a 96 b
manipulares 97 a
mantinea 243 a
manubaliſtæ 12 a
manuſata

manuſata 243 b.
marchia 79 b
marcomana uallis 74 b
marcomanni 28 a
mardi 94 b
maræotis 264 b
mare mediterraneum in=
tercluſum 101 b
mare intercluſum 122 b
maria in plenilunio ſe
purgare 103 a
mariæ lacus 264 b
marga 71 a
marliani lapſus 87 a
marrucini 227 b
marſi 227 b
martenacum 100 b
martialis Imperator in-
terficitur 118 a
martiana 140 a
maßiliæ ſitus graphice
deſcribitur 214 b
maßiliæ oppugnatio
pag. 208 b
materia 164 b &
materis 62 b
materiari 267 a
matiſcones 35 a 168 a
matrona fluuius 19 b
pag. 102 b
mauritania duplex
pag. 298 b
mauruſij 293 b
F. Maximus Allobrogi-
cus 29 a
mazara 62 a
medicus uenenum ſopori
ferum Domitio dat
pag. 193 a
mediterraneum mare
pag. 122 b
mediomatrices 139 a
pag. 86 b
meldi 123 a
mellon 162 a
melodunum 162 a
μῆλος 71 b
menapij 91 a 101 b

mendrisini 47 a
menrad:us insignis eremi ta 145 b
mercatores raro olim in Heluetia 19 a
merker 86 a
merher 86 a
merſburgium 78 b
meſſana 260 b
meſe 208 b
metallum oppid. 281 b
metina 208 b
metioſedum 162 a
midda 71 b
miggis 71 b
mill uſani 66 a
miles obſequens Cæſari pag. 8: a
militaris rei diligentia pag. 105 a
militiam quo anno deſerere licebat olim pag. 282 a
milo conduxit ſeruos & agricolas 151 b
miſericordia præpoſtera quantum obſit 305 b
miſni 141 a
miſſilia bina 62 b
de Mithridatis ingreſſu in Aegyptum 275 a
mityleneorum fides erga Pompeium 261 a
monaſteria duo Tiguri pag. 51 b
moneta Tigurina 48 a
montar 34 b
montes alti 72 b
moraui 86 a
morini 99 b 101 b
pag. 119 b
morſatij 113 b
moſa flumen 111 b
moſella 26 b
pag. 139 b.
munda ciuitas 183 b
pag. 329 a
mundenſe prælium 328 a

muralia pila 134 a
muralis fax 194 a
muretanus ager 66 b
muretum 66 b
murus 325 a
murus solidus 134 a
musculus 217 b
musculi 167 b
Myconius præceptor Rhellicani 66 a
μύλη 71 b
myoparo 279 a
Myßitanus regulus 308 b

N

NAbatæi 267 a
namurra 149 b
nannetes 101 b
naniuates 100 a
nantes 102 a
nantuates 100 a
nantuatum pagus 27 a
napium 245 a
narbonensis prouincia pag. 14 a
narbo 28 b
natiſon fluuius 32 a
naues ex ſalignis uiminibus 207 b
naues eijcere 239 b
nauiculæ Babylonicæ pag. 207 b
naues Britannicæ 206 b
naugia ſpeculatoria pag. 120 b
naufragiũ Cæſaris 182 a
neapolis 292 a
nechaonis regis Aegypti miles delitijs corruptus 265 a
nemetes 87 a 90 a
nemetocenna 174 b
nemoſum 77 b
neruij 90 b
neruij Ternacenſes 90 b
neruiorum frugalitas & fortitudo 91 a
neruiorum deſcriptio pag. 94 b

neruijs quadringentos patritij ordinis fuisse pag. 97 b
nicolaus ad Pueros 31 a
nidonia 75 b
nigra sylua 146 a
nitiobriges 152 b
niuernenses 34 b
noion 93 b 153 b
noreia 28 a
noma 126 b
norba 285 b
norici 28 a 87 b
norica regio lata 192 b
nortmannia 21 b
nouilunii Germanos expectasse antequàm præliarentur 85 a
nouiodunum 93 b
nouiodunum expugnatur 131 b
nox in quatuor uigilias diuisa 36 b
noctes longissimæ 127 a
nudæ mulieres Britennicæ in sacris 128 b
nuichtlandia 75 b
nuichthones occupasse Bernensem & Friburgensem tractum 75 b
numidæ 293 b
numismata uaria symbola habere 51 a
numus 220 a
nuntius in masculino genere 206 a
narbazanis dictum ad Darium 219 b
nutantium 125 b
nymphæum promontorium 240 a

O

OBrincum 139 b
occidentalis sylua 140 b
oceano totam terrã circundari 122 b
ocelum oppidum 32 b
octodurus

octodurus 100 b.
octogesa 236 a
offenderunt pro impege-
runt 232 b
olibar 281 b
olla receptaculum nauiũ
pag. 308 b
olympius 241 b
oppidi sectio uniuersa
quid 98 b
oppido 304 a
C. Oppius 3 b
orbucula 283 a
orchades 125 b
orchomenum 147 a
orcynia 140 a
orgetorix 22 b
oricum 232 b
orleans 151 b
orosius Augustini syn=
chrones 20 b
oscelum oppidum 33 a
oscenses 208 b
osi 73 b
osisimi 101 b
ossa 241 b
ossini 98 b
ostiaria tributa 240 b
Othonis sylua 14 a
othrijs Lapidarum sedes
pag. 241 b
otium negotio bellico op
ponitur 187 b
onager 120 a
ouiæ prouincia 275 b
Ouidij patria 192 a

P

PAconia 291 b
padus 131 a
pæmani 92 a
palæopharsalus 232 b
paludati 188 a
panis mirabili modo con
fectus 245 b
parazonium 95 b
in parentẽ impius phar=
naces 277 a
pharbisij 139 a

parisij 89 b 139 a
partonius portus 269 b
pecunias expensas ferri pag. 282 a
pehiti 119 a
peligni 227 b.
pelios 241 b.
pelles 304 a
pelusium 261 b
pentiremis 279 b
pergamus 262 b
pergamum 240 b
periclis dictum 26 b
persicum pomum 71 b
petoritum 72 b
petra locus 246 b
M. Petreius Varro 183 a
pfephicensis lacus 40 b
phalanx 61 b
phalanges 218 a
phalangy 218 a
phalius Corinth. 194 b
pharitæ 272 b
pharnaces Mithridatis filius 182 b 277
pharus 265 b
Philippus Melanchthon Rhellicani præceptor 287 a
phrysij 113 b.
platea 196 b
pleumosij 134 a
Plinius in descriptione Alcis discrepat à Cæsare 147 a
plumbatæ 96 a
plumbum album & nigrum 124 b
Plutarch. à Cæsare dissentit 97 b
plutarchus à Cæsare dissentit 93 a
plutarchi locus 109 b
plutei 156 b
picardia 21 b
picardiæ partem qui populi inhabitent 90 b
picearia sylua 140 b

picentes

picentes 190 b
pictauienſes 103 a
picti 116 b.
pictones 103 a
pierus 241 b
pira muralia 134 a
pila præpilata 311 b
pindus 241 b
piruſcæ 122 b.
piruſæ 122 b
piruſtæ 122 b
L. Piſonis mors 57 a
poitiers 103 a
pompeiana caſtra qua=
lia 259 a
pompeij uox de Cæſarea
nis militibus 245 b
pompeij uictoria aduer=
ſus Cæſarem 181 a
pompeij filius occiditur
pag. 183 b
pompeij pes luxatus
pag. 331 a
pompeij exercitus fuga
pag. 181 b
pompeij inſolens animus
pag. 187 a
pondo 220 a
pontificum officium
pag. 254 a
pontis deſcriptio 115 b
poſſeſſio fiduciaria
pag. 219 b
publicola uoluit publicã
pecuniam in domum
ſuam conferri 191 a
L. Publij exilium uolun=
tarium 57 b
pugnandi ſignum apud
Romanos 95 a
præcipito & præcipitor
pag. 238 b
prædones 262 a
præfecturæ agri Tiguri=
ni 46 b
prælium 9 a
prælium committere
pag. 87 a

præstare 235 b
prætexta 284 a & præ
textati Ibidem
prætoria cohors 82 a
prætores 300 a
prætorum dignitas &
officia 236 b
primipilus 204 b
& 96 b.
primipili offitium ibid.
promontorium 103 a
princeps de Nauso 115 a
princeps cohortis 249 a
processus 311 b & pro-
cedor Ibidem
proconsules 301 b
proficisci ad Romam
pag. 209 b
proprætores 300 a
prote 208 b
prunum 71 b
psalterium uerbatim di=
scere 143 a
ptolemais 262 b
πτύειν 71 b.
pyrenæi montes 107 a
& pagina 22 b

Q

Quadi 744 a
quadi olim Hel
uetij dicti 11 a
quadrigarum falcatarũ
forma 289 a
quina castra 233 a
quincunx ordo 164 b

R

Rabbius & Cor=
uus 51 a
rains 90 a
rætzuns 113 a
rationum duæ partes
pag. 282 a
rauraci 26 b 139 a
Re præpositio 164 a
recedentia 219 b.
receptui canere 195 a
redones 166 b
Regisperga 47 a
regis cyr=

regisspergensis præfectu-
ra 46 b
Regulasub quo Cæsare
passa 44 a
reipublicæ perturbato-
res olim exusti 26 a
rempublicam qui euer=
tant 321 a
S Remigij ampulla ubi
pag. 90 a
remulcare 221 b
renes 166 b
rhedones 98 b.
rheniuallensis præfectu-
ra 46 b
rhellica uilla 46 b
Rhellicani patria 46 b.
Rhellicanum Cracouiæ
operum literis dedisse
pag. 247 b
rhemi 90 b
rhemi duo fontes 112 b
rhemum labi per multas
regiones 113 b
A Rhenano autor dissen
tit 37 b
rhenenses 90 a
rhenenses Galli 102 a
rheti 87 b
Rhinfeldia 26 b
rhinualdenses 112 b
rhodanus 30 b
rhodanus unde dictus
pag. 29 b
rhodanus à Græcis dici-
tur Eridanus 16 b
rhodus 261 a
rhutemi 152 b
ripensia uina 66 b
roan 162 a
robur 103 b
rodes 83 b
rodulphus comes ab
Habspurg 45 b
rodolphus Agricola iu=
nior 147 b
rodolphi Agricolæ laus
pag. 23 b

rogationes 99 a
romandi 149 a
roſtra 237 a
rotuilenſes 27 b
rotunuillani 66 a
rubicon fluuius 88 b
rudetum 267 b
rudus uetus & nouum
pag. 267 b
rumore uano Pompeius
deceptus 188 a
runtzeual 22 b
rura fluuius 115 b
ruſa fons 35 b
ruſſpina oppid. 293 a
ruteni 83 b 163 a
rutenenſes 83 b

S

Sabaudi 25 a
ſabaudi unde dicti
pag. 29 b
ſabaudorũ perfidia 28 b
ſabellici locus reſtituitur
pag. 153 a
ſabinus interficitur
pag. 133 b
ſabin flumen Galli uocãt
ſambre 94 b
ſabis 149 b
ſabura 228 b
ſacramento rogare
pag. 137 b
ad ſacramenti redemptiõ
nem uocare 282 a
ſacrilegium Cæſaris
pag. 200 a
ſacrilegij pœna 59 a
ſagæ multæ apud germa
nos olim 85 b
ſaguntini 324 a & ſa-
guntina fames Ibid.
ſanitgonge 324 a
Salduba 286 b
ſalinæ nobiliſſimæ in Bur
gundionibus 20 b
ſalinarum ſtagnum
pag. 312 b
ſalona 278 b

INDEX

ſalonæ 232 b
ſalſum flumen 324 a
ſalyes 200 a
ſamarobriga 130 a
ſamarobrina 130 a
ſambarei 130 b.
ſambre 94 b
ſamnites 227 b
ſanconna 35 a
ſanctones 103 a
ſangalenſes 27 b 66 a
ſangarus Iſrahelitarum Iudex 43 b
ſantones 31 b 103 a pag. 153 a
ſaon 332 a
ſaonenſes 327 b
ſardinia inſula 293 a
ſarus amnis 277 b
ſaſerna 299 b
ſaxones 141 a
ſcaphæ 120 a
ſcapula dux 329 a
ſchanſeri 113 a
ſcheffhuſia 66 a
ſchleſnicenſis regio pag. 79 b
ſchiltuuacht 120 b
ſcipio Pompeij ſocer pag. 185 a 254 a
ſcipio prohibitur à ſpoliatione Epheſinæ Diænæ templi 262 a
ſclauonia 98 b
ſclauonica gens 87 b
ſcorpiones 120 a
ſcoti 116 b 119 a
ſcutati 96 a 202 b
ſcutula 242 b
ſcutulæ 218 b
ſchuitzerland 23 b
ſebuſiani 33 a
ſectio oppidi uniuerſa pag. 98 a
ſecuribus ſubijci 167 a
ſeditio Tigurinæ urbis pag. 44 b
ſeditioſi exurendi 26 a

in ſeditio-

In ſeditioſos animaduerſio 150 b
ſedunum 100 b
ſeduni 87 a
Seduni Valleſij ſuperiores 100 b
ſedunenſes 87 a
ſegadunum 107 b
ſegni 138 b 144 a
ſegonia 284 b
ſeguſiaci 162 b
ſeguſiani 161 a 162 b
ſeduſij 87 a
ſeleſtadium 86 b
ſemana 140 a
ſemar 34 b
ſemiſpathæ 203 b
ſen 90 a
ſenecæ patria 220 b
ſonones 89 b 135 b
in ſententiam præſtare pag. 157 a
ſeon 100 b
Sequana 19 b 89 b
pag. 102 b
ſequani 19 b. 86 b
ſequani ſibi ipſis malum accerſerunt 79 a
Seruius grammaticus 1 a
ſeſuini 98 b
ſeſtertius 171 a & ſeſtertia Ibidem
ſi pro an 31 a 212 a
pag. 227 b
ſicambri 114 b 149 b
ſicambrorum ſedes 110 a
ſicoris 205 b
ſidoaci 91 b
ſignacum 149 a
ſignorum bellicorum uaria genera 95 b
ſila fluuiolus 41 a
Silij poêtæ patria 220 b
ſimultas inter Cæſarem & Pompeium pag. 176 b
ſimul ſimul 114 b
ſimul pro poſtquàm 197 a

pag. 197 a
Sittius 298 a
Sitten 100 b
Soborra Iubæ præfectus pag. 298 a
Soissons 90 b
Sol ubi 40 dies non occidat 127 b
Solaturris 36 a
Solodorum 66 a
Soldurij 72 b
Sors 241 a
Sostrates Gnidius pag. 265 b
Spartani dictum de Imperatore 81 a
Spathe 203 b
Speculatoria nauigia pag. 120 b
Spiculum 61 b
Spijßhartz 140 b
Spinetum 71 b
Spirenses 87 a
Stationes 120 b
Statiua castra facere pag. 241 b
Statores 302 b
Statumen 207 a
& Statuminare Ibid.
Steigeruuald 140 b
Steinia 47 a
Stili cæci 165 b
pag. 300 b
Stimuli 165 b
Stipendium flagitari pag. 213 b
Stoechades 208 b
Straobnis locus emendatus 38 b
Sturij 213 b.
Styria 87 b.
Subcosta 243 b.
Subsyluania 66 a
Subsyluani 46 a
Subterranei Specus 309 b
Subura 196 b
Suessones 90 b
pag. 130 b
Sueuus

ſueuus rex 43 b
ſueui à Cæſare uicti pag. 12 a
ſueui, qui Heluetijs pag. 16 b
ſueui Vbiorum hoſtes pag. 88 a
ſueuorum centum pagi paz. 12 a & 79 b
ſueuorum non unam eſſe gentem 110 a
ſuitenſium nomen unde pag. 75 a
ſuiteri 46 a
ſuitia 23 b
pag. 66 a
ſulchi 318 a
ſulchos 197 a
ſulmo 192 a
ſungaui 19 b.
ſuperare 143 b
ſupercilium metaphoricè 306 b
ſupplicationes 99 a
ſupplicantium ritus pag. 218 b
Suptarus Hunnorũ rex pag. 21 a
ſycambri 115 b.
ſygenberger 115 b
ſypetes 109 a

T

TAbula fluuius pag. 94 b
tabulæ nouæ 230 b
talabi 152 a
tancheri 109 a
tangraſtel 117 b
tarbeli 152 a
tarbelli 107 b
tarentaſia 32 b
tarienſes 107 b
tarſates 107 a
taruſates 207 a
taſgetius rex 135 b
tauetſcheri 113 a
taurica Cherrhoneſus pag. 270 a

taurus 140 a
taxus 148 b
tectosages 144 a.
teillus fluuius 65 a
telum adijcere 95 b
tempestatis descriptio pag. 204 b
templa spoliauit Cæsar pag. 5 b
tenceridæ 109 b
tenchateri 109 a
tenchteri 109 a
tengeri 110 a
tenteridæ 109 b
terentij locus 82 b
tergesta Carnicorum pagus 172 b
tergesto 172 b
terrmana 91 a
testudo 215 b
teutomalius rex saluiorũ pag. 83 b
teutonus 79 b
teutonum domicilia 79 b
thamesis 129 b
tharsus 288 a
theatrum 302 b
thebæ 147 a
thenis 129
theodorus episcopus Cõstantiensis 53 a
theodorus Bibliander pag. 55 b
in thessalia triginta quatuor montes esse pag. 241 b
thoncastell 117 b
M. Therinus 1 b.
thurgæana præfectura pag. 46 b
thuregum 40 a
thuregum à thuro fluuio pag. 49 a
thuregium oppidũ 37 a
thuregum Curtem appellari 42 a
Thuricus rex Arelatẽsis pag. 43 a

thuricum

thuricum 40 a
thuringica ſylua 140 b
thuringi 141 a
thyle 126 b
thylenſes 126 a
tigurum ſeu thuregum pag. 66 a
tigurinus pagus 36 b
pag. 40 a
tigurinus lacus 40 b
tigurini 18 a
tigurinis Cimbris adhæſiſſe 38 b
tigurini libertate donati pag. 44 b
tigurinus exercitus 47
tigurini agri fertilitas pag. 40 b
tigurinæ urbis fundatio pag. 43 b
tigurini Heluetico fœderi quibus de cauſis ſe iunxerint 45 b
tigurinæ Eccleſiæ ſchola pag 55 a
tigurum 40 a
tugurdorph 39 b
tugurdorff 49 a
tigurich 40 a 49 a
tilia mira arte conſita pag. 41 b
timagenes 15 a
titurius 133 a
togata Gallia 14 a
toleſani 153 a
toleſates 153 a
tormentorum ſpecies pag. 119 b
traducere 36 a
tragula 62 b
tragulam inijcere ibid.
tralles 262 b
trans 213 a
trebates 43 b
treueri 139 a
treuirorum mœnia à quo fundata 43 b
triberi 122 b

triboces 86 a 113 b.
tribochi 86 b
triboni 86 b
tribuci 113 b
tribunus militum 80 b
tribuni militum insigne pag. 95 b
tricussij 139 a
triccassij 89 b
triecassij 98 b
triremis 279 b
tritium 281 b
tschudus taxatur 64 a & b
à tschudi tabula autor uariat 27 b
tuba signum dare 95 b
tugium 66 a
tugini 38 b
tulingi 26 b.
tungri 133 b
tunica rubra uexilli uice pag. 95 b
turduli 326 b
turicina arx 52 a
turinum oppidum 237 b
turma 61 a
turones 98 b
turris ambulatoria pag. 106 b
tursæ 107 a
tusis 113 a
tuticanus Gallus 250 b
θύρα V 71 b
V Accenses 311 b
Vadiani laus pag. 278 a
uadimonium 280 b.
uadimonio obstricti pag. 280 b
uahalen 111 b
ualerius Leo 4 a
uallesiani 27 a 66 a
uallesij inferiores 100 b
ualesij in aliquo Heluetiorum pago non recensentur 27 b
uallus 248 a

uangiones 87 a 90 a
uaragri 100 a
uarra 281 b
uarranorum gens 191 b
uæruca 149 b
uas 71 b
uates 241 b
uatuca 149 b
uberlinga 78 b
ubij 88 a
ucubenſes 326 a & uce=
bis Ibidem
uectigalia apud Hunga-
ros 98 a
uectones 201 b
uedaſtus præſul ſanctiſs.
pag. 90 a
uellanij 166 a
uellaunodunum 153 b
uelleda numinis loco ha-
bita 85 b
uelites 84 b
uĕdere ſub corona 104 b
uenetus lacus 145 a
ueneti 89 b
uenetorum potentia
pag. 102 b
de uentis Gellius 124 a
ueragri 100 a
ueragrorum uicus 101 a
uergiliarum ortus 303 b
uergobretum 157 a
uergobretus 59 b
uernandois 91 b
uerocaſſes 91 b
ueromandui 91 b
uerriculum 134 b
uerſaon 332 a
uerſaonenſes 327 a &
Verſaon Ibid.
uerſon 332 a
uerutrum 134 b
uexillatio 86 a
uexillum 257 b
ueſſones 130 b
ueſſones 90 b
ueſontio 80 a
ueſtini 227 b

uiaron 154 a
uiatores 302 b
uibo 260 b
ante uictoriam laudes ca
nere ſtultum 251 a
uienna 153 a
uindalium 83 b
uindoniſſa 36 a
uindoniſſa à quibus de=
ſtructa 39 b
uineæ 93 b
uinum 71 b
uinum Eraſmicum 78 a
uini parciſſimus Cæſar
pag. 4 a
uiliburgum 25 a
uilla noua 153 b.
uiriatus 308 b
uitudurum 47 a
ulmaCurtius 42 a
uocates 107 a
uocontij 200 a
uogeſus mons 26 b
uolcæ 163 a
uolci 152 b & uot=
cæ Ibidem
uolocaſſes 91 b
uolaterrani locus 130 a
uortigernus regulus An
glorum 116 b
urba oppidum 64 a
urba ubi ſita 65 a
urbienus 64 a
urbigenus pagus 56 b
pag. 63 b
urbigenenſis pagus 27 a
urbinus 64 a
urdorphreuius 39 b
urdorphum 39 b
uri 147 b
uri gallica uox 148 a
uria 66 a
urienſes 46 a
urienſes à quibus originẽ
trahant 38 a
urbs in uicos diuiditur
pag. 296 a
urbem ſacrare 251

ursa fons 35 b
ursaon 332
usipes 109 b
usipetes 109 a
usipij 109 a
uuali 16 b 70 b
uualis 111 b
uuælben & uuelgen 22 a
uuelli 98 b.
uuesteruuald 140 a
uuighardus 52 a
uuissenburgenses 87 a
uulturnus 240 a
uuormatienses 87 a
uzita 306 a

Z

Alienſis 87 a
Zela oppidum pag. 299 a
Zimma 71 b
Zurich 40 a 49 a
Zyrichina regio 49 b
Zurichinorum oppidum pag. 40 a
Zurichinorum ditio 39 a

FINIS

ERRATA.

Pagina 10. uerſu 12. lege nutabunda. 13. uerſu ult. expunge uoculam Ciſalpina, 96 lege Socrotes pro Euſeb.

IOANNIS RHELLICA-
NI TIGVRINI, IN CAE-
SARIS COMMENTA-
ria Præfatio.

VANDOQVIDEM in omnibus rebus & dicendis & faciendis ordine rectè ſeruato nihil melius, & luculentius eſt: ne ab illo aberremus: uiſum eſt eum ordinem in hiſce commentarijs enarrandis ſeruare, quem Seruius inter Latinos grammaticos celeberrimus præſcribit: nempe ut primum authoris uita, deinde operis titulus, tertio ſcripti qualitas, quarto authoris intentio, quinto librorum numerus (cui nos hiſtoriæ fructum addemus) ſexto author ipſe explicetur. Quod ad uitam Iulij Cæſaris attinet, paucula quædã ex ijs prælibabimus, & congeremus, quæ Plutarchus, Suetonius Tranquillus, Eutropius, & Appianus Alexandrinus de illo memoriæ prodiderunt: potiſsimum tamen Tranquilli ueſtigijs inhærentes. Is itaq; ſcribit, Iulium Cæſarem decimum ſextum annum agentem amiſiſſe patrem, quem tamen non nominat: matrem autem ei Aureliam fuiſſe nomine. Et quum Flamẽ Dialis deſignatus eſſet, dimiſſa Coſſutia, Corneliam Cinnæ IIII. Conſulis filiam duxiſſe: ex qua Iuliam ſuſtulerit filiam, quæ poſtea Pompeio Magno nupſit. Dum autem in Aſia primum ſub Marco Thermo prætore militaret, ab eoq; in Bithyniam

missus esset: non nisi cum pudicitiæ suæ infamia à Nicome de redijsse fertur. In Rhodo usus est præceptore Apollonio Molonis filio, clarissimo dicendi magistro: unde & Cicero diuinæ suæ eloquẽtiæ primordia (Plutarcho testante) hausit. Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus mẽbris, ore paulo pleniore, nigris, uegetisq; oculis, ualetudine prospera: nisi quòd tempore extremo, repente animo linqui, atq; etiam per somniũ exterreri solebat. Comitiali quoq; morbo bis inter gerẽdas res correptus est. Quod maximum fortunæ applausum habuerit, uel inde constat, quòd ter, nec amplius aduersum casum expertus est: uidelicet in Britannia, classe ui tempestatis fermè absumpta, & in Gallijs ad Gergouiam legione fusa, & in Germanorum finibus, Titurio, & Arunculeio legatis per insidias obtruncatis. De bello ciuili, quod aduersus Pompeium, & alios gesit, ubi ad tres libros ab ipso Iulio cõscriptos uentũ fuerit, differemus. Nunc uero quorũ ductu, & ope Gallijs præfectus sit, & quid in illis gesserit, prosequemur. Et generi sui Põpeij, & Soceri L. Pisonis auxilio primũ Cisalpinæ, deinde etiam Comatæ Galliæ proconsulatum adeptus est. Gessit autem nouen annis (quibus in imperio fuit) hæc ferè. Omnem Galliam (quæ à Saltu Pyrenæo, alpibusq;, & monte Gebenna, fluminibus Rheno, & Rhodano continetur, patetq; circuitu ad bis, & tricies centũ millia passuũ) præter socias & bene meritas ciuitates, in prouintiæ formam redegit, eiq; in singulos annos stipendij nomen imposuit. Quantũ ad mores eius speciatim considerandos pertinet, adeò mirabilem se in uitijs, & uirtutibus exhibuit, ut (quemadmodũ Titus Liuius de Hannibale refert) haud

immerito

immerito ex utrisq; monstrum quoddam conflatum uideri queat. In obeundis enim expeditionibus dubiũ cautior ne, an audatior fuerit. Exercitũ neq; per insidiosa itinera duxit unquàm, nisi perspeculatus locorũ situs. Neq; enim in Britanniã eum transuexit, nisi ante per se, portus, nauigationẽ, & accessum ad insulam exploraſſet. Ad hæc obsessione castrorum apud Germanos nuntiata, per stationes hostium, Gallico habitu ad suos penetrauit. Iustitiam usq; adeò in puniendis sceleribus coluit, ut libertum amantissimum, ob cõstupratam equitis Rho. uxorem (quamuis nullo conquerente) capitali pœna affecerit. Præterea tam liberalis fuisse traditur, ut pistorem alium quàm sibi panem conuiuijs subijcientem cõpedibus uinxerit. Denisq; amicos tanta semper facilitate, indulgentiaq; tractauit, ut Caio Oppio comitãti se per syluestre iter, correptoq; subita uale tudine, quũ ex itinere ui tempestatis, cuiuspiã pauperis tuguriũ intrare cõpulsus esset, ibiq; unicũ cubiculum uniuus uix capax reperisset, diceret: Ex honorifico quidem loco decedendum est potentibus, ex oportuno autem ijs, qui aduersa laborant ualetudine, simulq; ibi requiescere iussit Oppium: ipse uero unà cum cæteris in priore tugurij parte apud fores recubuit. Quanta uero fortitudine in bello polluerit, Suetonius ita testatur. Quo sæpius uicisset, hoc minus experiendos casus opinans: nihilq; se tantum uictoria acquisiturum, quantum calamitas auffere posset. Nullum unquàm hostem fudit, quem non castris quoq; exuerit: ita nullum spatiũ perterritis dabat. Vnde apparet eum ita fuisse strenuum, ut tamen in temeritatis uitium non caderet. Quod ad uictus temperantiã attinet, idem Tran

quillus affirmat, eum uini parcissimum fuisse: id quod ne inimici quidem eius negare potuerunt. Cato nanq; de eo dicere solitus est, solum Cæsarem sobrium ad remp. euertendam accessisse. Nam circa uictum eum adeò indifferentem. C. Oppius docet, ut Mediolani apud Valerium Leonem cænans, conditum oleum pro uiridi appositum, cæteris aspernantibus, solus largius commanducauerit: ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis arguere uideretur. Id quod maximæ ciuilitatis, ac modestiæ fuisse, nemo (ut opinor) negauerit. Quàm misericordem, lenem ac clementem se erga inimicos etiam prebuerit, præter Ciceronem in oratione pro Marcello, Tranquillus in hæc uerba testatur. Simultates contra nullos tam graues excepit unquàm ut non occasione oblata, libens deponeret. Sed & in ulciscendo natura lenissimus fuit. Piratas enim à quibus captus fuerat, quum in deditionem redegisset (quoniam suffixurum se cruci antea iurauerat) iugulari prius iussit, deinde suffigi. Moderationem uero clementiamq;, tum in administratione, tum in uictoria belli ciuilis admirabilem exhibuit. Denuntiante enim Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent, ipse medios, & neutrius partis, suorũ sibi numero futuros pronunciauit. In acie pharsalica proclamauit, ut ciuibus parceretur: deincepsq; nemini non suorum, quem uellet unum partis aduersæ seruare concessit: nec ulli perijsse, nisi in prælio reperiuntur, exceptis dũtaxat Afranio, Fausto, & L. Cæsare iuuene: ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putãt. Demiq; tempore extremo etiam quibus nõdum ignouerat, cunctis in Italiam reditũ permisit, magistratusq; & imperia capere:

re: quin & ſtatuas L. Syllæ, atq; Pompeïj à plæbe diſiectas repoſuit. Ac ſi qua poſthac aut cogitarẽtur grauius aduerſus ſe, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm uindicare. Tantũ de heroicis planè Cæſaris uirtutibus. Reſtat ut alteram monſtri partem, nempe inſignia uitia, & facinora deteſtanda abſoluamus. Primum ergo calliditate, uerſutia & uafricie uſus eſt ad tyrannidẽ cum parandam, tum ſtabiliendam. Eò namq; omnia eius conſilia ſpectabant, ut ſuæ cupiditati, non reip. proſpiceret. Idem de eius audatia & truculentia ſentiendum eſt. Adeò enim prodigus animæ ſuæ, & alieni ſanguinis effundendi appetens extitit, ut (Eutropio teſtante) eius ductu, undecies centum nonaginta, & duo millia hoſtium cæſa ſint. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit. Deinde quando à plebe paſsim beneficus habebatur: prodigus, & iniquus largitor potius erat. Nam (ut Appianus teſtatur) ærarium publicum depeculatus eſt ut ea pecunia populi fauorem per ſumptuoſas epulas, & ſpectacula uenaretur. In ſumma tãtæ iniuſtitiæ uir fuit (uti Tranquillus refert) ut abſtinentiam neq; in imperijs, neq; in magiſtratibus præſtiterit. Vt enim quidam monumentis ſuis teſtati ſunt, in Hiſpania à proconſule, & à ſocijs pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni, & Luſitanorum quædam oppida (quanquam nec imperata detractarent, & aduenienti portas patefacerent diripuit hoſtiliter. In Gallijs fana templaq; deûm donis referta expilauit, urbes diruit ſæpius ob prædam, quàm ob delictum, unde factum ut auro abundaret, ternisq; millibus numûm in libras promercale, per Italiam, pro-

uinciaśq; diuenderet. In primo consulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates, ac regna prætio dedit, ut qui uni Ptolemæo propè sex millia talentorum suo, Pompeijq; nomine abstulerit: postea uero euidentissimis rapinis, sacrilegijs, & onera bellorum Ciuilium, triumphorum, ac munerum sustinuit impendia. Atq; ita contra ueræ liberalitatis conditionem alijs rapuit, quod alijs largiretur. Adeò deinde ambitiosus fuit, ut omne ius, faśq; imperio posthaberet. Id quod ipsemet haud obscurè præ se tulit, quando illos Euripidis Versus in Phœnissis semper in ore habuit:

ἑἵπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος περὶ
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλ' δ' ὁσιβεῖν χρεών.

Quos Cicero sic Latinos fecit:

Nam si uiolandum est ius, imperij gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Huc etiam facit, quod quum in Hispaniam proficisceretur, ac in alpibus quoddam oppidulũ præterueheretur, interrogatusq; à comitibus esset, num isthic quoq; putaret aliquas principatus ambitiones uigere, dignitatumq; certamina, respõdit: Mallem equidẽ inter ipsos primus, quàm inter Romanos secundus esse. Pronum, & sumptuosum in libidines fuisse, constans opinio est: plurimasq; & illustres fœminas corrupisse. Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem. Ac ne prouintialibus quidem matrimonijs abstinuisse, uel hoc disticho apparet iactato æque à milittibus per Gallicum triumphum:

Vrbani seruate uxores, mœchum caluum adducimus,
Auro in Gallia stuprum emisti: hic sumpsisti mutuum.

Dilex

Dilexit & reginas, Eunoen Bogudis regis Mauritoniæ uxorem, & maxime Cleopatram Aegypti reginam, cũ qua luxuriosissimam uitam egit. Deniq; ne cui omnino dubiũ sit, & impudicitiæ eum, & adulteriorũ flagrasse infamia: Curio pater, quadam eum oratione omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem appellat. Ex his (ut opinor) intelligi potest, quàm monstrosam uitam duxerit. Superest, ut & de eius nece pauca subnectamus. Quũ ergo dominandi libido eum usq; adeò dementasset, ut non solum malis artibus remp. opprimeret: uerumetiam contumelijs dictis eam incesseret, dictitans, nil nisi meram appellationem esse sine corpore, ac specie: Item Syllam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit: debere homines iam consideratius secum loqui, ac pro legibus habere quæ dicat: factum est, ut plusquàm sexaginta in eius necem conspirauerint C. Cassio, Marcóq; & Decio Bruto principibus conspirationis. Qui nacta occasione, in curia eum officij specie circumsteterunt: illicóq; Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus propius accessit, renuentiq;, & gestu in aliud tempus differenti, ab utróq; humero togam apprehendit: deinde clamantem ista quidẽ uis est, alter Casca aduersum uulnerat paulũ infra iugulũ: Cæsar Cascæ brachiũ graphio traiecit, conatusq; prosilire alio uulnere tardatus est. Vt aũt animaduertit, undiq; se strictis pugionibꝰ peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit: quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte uelata. Atq; ita uiginti tribus plagis confossus expirauit ætatis suæ anno 56.

Hæc de uita authoris. Titulus sic habet: C. Iulij Cæsaris

Como

Cõmentaria de bello Gallico, & Ciuili. Caius prænomen Iulius cognomẽ ab Iulo Aeneæ filio, sic enim canit Virg. lib. 1. Aeneidos sub Iouis persona ad Venerem:

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris
Iulius, à magno demissum nomen Iulo.

Quod multo adhuc clarius & maiori cũ fide Velleius Paterculus, quippe historicus, hisce declarat uerbis: Hic nobilissima Iuliorũ genitus familia, & quod inter omnis antiquissimos cõstabat, ab Anchise, ac Venere deducens genus. Cæsar agnomẽ ab euentu, qui alius ab alio authore traditur. Aelius namq; Spartianus in Aelij Veri imperatoris uita quadruplicẽ agnominis causam adducit, quippe Cæsarem uel ab elephanto (qui lingua Maurorũ cæsa dicitur) in prælio cæso, eũ, qui primus sic appellatus est, doctissimi uiri, & eruditissimi putant dictum, uel quia mortua matre uentre cæso sit natus, in qua sententia Seruius quoq; super primũ lib. Aeneidos Vergilianæ, & Plinius lib. 7. naturalis historiæ cap. 9. est. Vel quod cũ magnis crinibus sit utero parentis effusus. Cui opinioni Sextus Pompeius Festus subscribens, ait, Cæsarem à Cæsarie dictum, quia scilicet cum Cæsarie natus sit. Vel quod oculis cæsijs, & ultra humanum morem uiguerit. Porrò ut hoc ceu auctarij uice annectam, postea Cæsares dicti sunt, quasi quidam principũ filij uiri, & designati Augustæ maiestatis heredes, quos nunc Romanorum reges uulgus nostrate appellat. Commentarius, uel Commentarium Latinè dici potest, quod (definitore Prisciano) plurium studio, uel doctrina, mente habitorũ in unum collectio est. Perotus eam uocem à com-

à cõminiſcor, id eſt recolo deductam exiſtimat, eamq; hoc definit modo: Commentarius eſt liber, in quo rerum ſolum modo capita poſita ſunt, ita ut uideamur in illis ad exequendam hiſtoriam, alijs ſubieciſſe materiam. Bellum dicitur totum tempus in quo belligeramur: prælium uerò ipſe confligendi actus. Quibus Galliæ partibus bellum illatum, & contra quos ciuilia arma mouerit; partim ab initio lib. 1. de bello Gallico, partim ex Eutropij argumento quod utriq; bello præfigemus, clareſcet. Quod ad ſcripti qualitatem pertinet, Cæſar in his libris hiſtoriam ſcribit: cuius ſtylus inter proſam, & ligatam orationem medium quiddam tenet. Quantum uerò Cæſar noſter in dicendi arte polluerit, uel unico Quintiliani teſtimonio patet. Is enim libro decimo oratoriarum inſtitutionũ ſic de eo ſcriptum reliquit: C. uerò Cæſar, ſi foro tantum uacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo uis eſt, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis (cuius propriè ſtudioſus fuit) elegantia. Authoris ſcopus fuit, res in Gallia ac ciuili bello à ſe geſtas memoriæ prodere: num alius anſam caperet eas ſuccinctè traditas, copioſius dilatandi. De librorum numero Sueto nius ſic ſcribit: Reliquit & rerum ſuarum commentarios Gallici, Ciuilisq; belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africiq;, & Hiſpanienſis incertus author eſt. Alij enim Oppium putant, alij Hirtium: qui etiam Gallici belli nouiſſimum, imperfectumq; numerum compleuerit. Reliquit & de analogia libros duos, & Anticatones totidem. Ac præterea poëma, quod inſcribitur Iter. Item alia ludicra

ſcripta,quibus in adoleſcentia luſit. Cæterum hoc fructus petendum eſt non tantum ex Cæſaris, ſed omnium aliorũ hiſtorijs,ut bene & dicere inde, ac facere diſcamus. Quorum prius probatione non indiget: poſterius autem à Liuio in præfatione lib.1. ab Vrbe condita ad hunc aſſeritur modum: Hoc illud eſt, præcipuè in cognitione rerum ſalubre,ac frugiferum:omnis te exempli documenta in illuſtrĩ poſita monumento intueri:unde tibi, tuæq; reipub. quod imitere capias: unde fœdum incœptu, fœdum exitu quod uites. Hæc ille. A quibus nõ diſſentanea Agathius in præfatione hiſtoriæ ſuæ ita memoriæ prodidit. Hiſtoria haud ſecus ac domina,nec minit abunda quidẽ,nec adulatrix iubet plærunq;, & planè conſtituit, quibusnam ſit inhærendum,quæue ſint fugienda:& perinde neceſſitatem perſuadendo immiſcet in animos ſe,dum inſinuat, uirtutemq; collocat,ubi plurimum allicibili utitur oratione, uel exemplorum uarietate,ueluti condimentis quæ narrantur excolit: ea dicendo confirmans, in quibus homunes rectiore conſilio uſi,uel æquitate probatiores ſint redditi, uel fortè pro cuiuſquam ſententia,ſiue fortuna duce, & hac aduerſante falſi,quandoq; à recto,decoroq; aberrauerint. Ad authoris explanationem operæpretiũ mihi uidetur,totius belli Gallici argumentum ex ſexto Eutropij libro huc tranſcribere:ut eius ſtudioſi principium, medium, & finem ob oculos habeant, & rei capita quaſi in tabula delineata contemplentur,& rectius inde omnia colorum genera, & ornamenta intelligant. Sic igitur Eutropius in iam citato libro ait.

BELLI

Argumentum.

ANNO Vrbis conditæ sexcentesimo, nonagesimo octauo C. Iulius Cæsar, qui postea imperauit cum Bibulo, Consul est factus, decreta est ei Gallia Trãsalpina, Cisalpina, & Comata: postea senatus addidit & Illyricum cum legionibus denis. Primò uicit Heluetios, qui nunc Quadi appellantur. Deinde uincendo bella grauissima, usq; ad Oceanum Britannicum processit. Expugnauit nanq; in ea Heluetios, Tulingos, Latobriges, Rauracos, & Boios: ex quibus centum, quadraginta septem millia perempta sunt, cætera effugerũt. Deinde Ariouistum regem, cui auxiliabantur Arrudes, Marcomanni, Tribochi, Vangiones, Nemetes, Seduśij, & Sueui, fugere eos compulit, duasq; uxores eius, totidemq; filias cœpit: omnemq; exercitum per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cecidit. Post hoc gentem Belgarũ, cui adhæserant bello Vangij, cum sexaginta millibus armatorum: Sueśsones cum quinquaginta millibus: Neruij præterea, quorum adeò indomita feritas erat, ũt nunquam ad se mercatores accedere sinerent: hi nihilo minus quinquaginta millia armatorum habentes. Atrebates etiam, & Ambiani, Menapij, Caleti, Velocasses, Veromandui, Atuatici, Conduenses, Eburones, Cæresi, Pemani, qui uno nomine Germani uocantur: quorum omnium cũ ijs, quos suprà diximus, ducenta, septuaginta duo millia fuisse referuntur. Hi quũ repentè è syluis erumpentes exercitum Cæsaris perterritum in fugam uertissent, tandem hortatu Cæsaris, exercitus restitit, eosq; usq; ad internitionem penè deleuit. Dehinc Titurius, & Sabinus legatus

Cæsaris

Cæsaris Aulercos, Eburones, Lexouiośq; incredibili cæde deleuit. P. Crassus alter legatus, ex Aquitanis, & Cantabris triginta octo millia interfecit. Cæsar rursus Germanos, qui Rhenum transierant, & totas Gallias sibi subijcere parabant, bello adortus, usq; ad internitionem cecidit: quorum feruntur quadringenta, quadraginta millia fuisse. Deinde facto ponte, Rhenum transgressus, Sueuos maximam & ferocissimam gentem superauit: quorũ esse centum pagos multi prodidêre: totamq; Germaniam perterruit: mox in Galliam se recepit: Domuit autem annis nouem ferè omnẽ Galliam, quæ inter alpeis, & flumen Rhodanum, Rhenum, & Oceanum est: & circuitu patet ad bis tricies centena millia passuum. Britannis mox etiam bellum intulit, quibus ante eum nec nomen quidem Romanum cognitum erat: eos quoq; uictos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annum imperauit H S quadringenties: Germanośq; trans Rhenũ aggressus, maximis prælijs uicit.

ARGVMENTVM LIB. I. DE BELLO GALLICO.

Duo bella à se confecta hoc libro complectitur, unum aduersus Heluetios; alterum contra Arioui stum Germanorum regem.

AN.

IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM I.

Io. Rhellicani Annotationes.

ALLIA EST OMNIS DIuisa in parteis treis.) Quum bellum à se cum Gallis gestum descripturus esset Cæsar, haud abs re fuit, quod Galliam primum omnium unà cum partibus ipsius descripsit: iuxta illud Ciceronis in officijs: Omnis institutio, quæ à ratione suscipitur, à definitione proficisci debet, ut intelligatur id, de quo agitur. Porrò quemadmodum illic Cicero secundum Dialecticorum traditionem, Officium, quod multiplex erat, prius diuidit, postea definit: Sic hoc loci Cæsar primò Galliam in treis parteis secat, deinde unamquamq; suis finibus describit. Quia uerò Iulius hic in diuidendis Gallijs à probatissimis Cosmographis, & Geographis Ptolemæo, Augusto Cæsare, Plinio, Strabone, ac Mela dissentit, dum illi omnes Galliam transalpinam quadruplicem, hic autem triplicem facit: operæ pretium esse uidetur, plenam diuisionẽ substituere, ac in ea ostendere, quod Cæsari cum alijs non disconueniat. Deinde de Galliæ totius ambitu, Gallorum origine, & nominis etymologia. Gallia igitur prima sua diuisione in Cisalpinam & Transalpinam diuiditur. Illa sic appellata est, quod Romanis cis alpeis sita: Cisalpina quæ

nunc

nunc Langobardia à nouis incolis Langobardis appellatur. Eadem & Togata dicta, quod licet à Boijs Gallica gente originem duceret, tamen Romanorum uicinia, ac commertio ita paulatim instituta est: ut ceu illorum nobiles, ita & horum in pace toga uterentur. De cuius limitibus, ac populis legito Plinium lib. 3. Natu. histo. cap. 14. Hæc autẽ ijsdem Romanis ideo sic dicta, quod ipsis transalpes posita esset. Quæ rursus in duas secatur parteis, in Brachatam, & Comatam. Quarum una à brachis id est breuibus tunicis, quæ uix nates contegerent, appellata est. Atq; hæc eadem Narbonensis prouincia Romanorum dicitur, quod ea deuicta, Coloniam in metropolim Narbonem ijdem deduxerant. Quam equidem Iulius hoc loci haud quaquàm propter rerum Gallicarum uel imperitiã, uel oscitantiam quandam in partiendo omisit: sed quod Romanis notior esset, quàm reliquæ partes tres, quas nondum penitus domuerant. Itaq; contentus fuit in commentarijs scribendis (ubi studendum est breuitati) Galliam in eas partiri parteis, cũ quibus ipsi in belligerando res fuit. Altera communi nomine Comata dicitur, quod comis & cæsarie promissa uteretur: quæ non tantũ iuxta Cæsaris, sed etiam aliorũ sententiam in tres parteis diuiditur, Belgicam, Aquitanicam, & Celticam: nisi quod alij pro Celtica Lugdunensem ponunt, quod itidem cũ Cæsare nihil pugnat. Celtica nanq; Lugdunensis nimirum à metropoli Lugduno uocatur, quæ in ea regione sita est. Galliæ totius (cuius saltẽ Cæsar hic meminit) ambitus iuxta Agrippæ descriptionem longitudine CCCCXX milliũ passuum. Latitudine uetò CCCXIII patet. De Gallorũ primordijs

dijs & nominis argumẽto Ammianus Marcellinus in hæc uerba ſcribit: Ambigentes ſuper prima origine Gallorum ſcriptores ueteres, noticiã reliquêre negocij ſemiplenã: ſed poſtea Timagenes & diligentia græcus & lingua, quæ diu ſunt ignorata collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem ſecuti, obſcuritate dimota, eadem diſtinctè docebimus, & apertè. Aborigenes quidam in his regionibus uiſos eſſe firmârũt, Celtas nomine regis amabilis, & matris eius uocabulo Galatas dictos: ita enim Gallos ſermo Græcus appellat. Alij Dorienſes antiquiorẽ ſecutos Herculẽ Oceani locos inhabitaſſe confines. Draſidæ memorant reuera fuiſſe populi partẽ indigenam. Sed alios quoq; ab inſulis extimis confluxiſſe ex tractibus transrhenanis crebritate bellorũ, & alluuione feruidi maris ſedibus ſuis expulſos. Aiunt quidam paucos poſt excidiũ Troiæ, & fugitantes Græcos ubiq; diſperſos loca hæc occupaſſe tunc uacua. Regionũ autem incolæ id magis omnibus adſeuerant, quod etiam nos legimus in monumentis eorũ inciſum, Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis, & Tauriſci ſæuorum tyrannorum pernitiem feſtinaſſe: quorum alter Hiſpanias, alter Gallias infeſtabat, ſuperatiſq; ambobus, coijſſe cum generoſis fœminis, ſuſcepiſſeq; liberos plures, & eas parteis, quibus imperitabant ſuis nominibus appellaſſe. Hactenus Marcellinus. Cæterum quia Cæſar in Galliarum diuiſione ſubiungit, tertiam qui ipſorũ lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur: unde Galli nomẽ ſortiti ſint, copioſius edocendũ puto, Et quoniã Volaterranus de hoc haud indigna lectu tradit, eius uerba primũ huc tranſcribere placitũ eſt, ac poſtea examinare. Gallos, inquit, omneis, et Germanos uno

uocabulo

uocabulo ueteres Græci Celtas, Romani Gallos appellabant. Nam & Germaniam Comatam Galliam dicebant. Postquàm uerò Rhenum transiêre, inq; Gallorum finibus constitêre, ab unita quodam modo affinitate, Latini Germanos uocauere. Gallos deinde Græci Galatas ab Hercule filio. Hercules enim (ut scribit Diodorus lib. 4.) deuicto Geryone, in Galliam ueniens, Alexiam condidit ciuitatẽ: ac è uirginis cuiusdam eius loci indigenæ complexu, Galaten genuit, qui regnum obtinens, incolis nomen dedit. Isidorus quoq; ἀπὸ τῦ γάλακτ@ dicit appellari, quod Gallorum corpora, ob immensa frigora lactis modo albescant. Quod sanè non discrepat à uersu Vergiliano:

Virgatis lucent sagulis tum lactea colla.

Hæc ille, quæ quamuis clariora sint ijs, quæ Ammianus tradit, tamen quæri adhuc, & dubitari posset, quaratione Græci alioquin, proprietatis in dicendo studiosissimi duos tam diuersos populos una eademq; nomenclatura insigniuerint: ideoq; meum qualecunq; iuditium interponere non uerebor, ita tamen, ut certiora alijs afferentibus libens cessurus sim. Quemadmodum ergo ex sacris noui testamenti literis deprehendimus, Iudæis in more fuisse, præter se omnes populos uocare Græcos, (ut quando Paulus Rom. 1. inquit: Euangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti Iudæo simul & Græco. Et Heluetiorum uulgus omnes Germanos ab Heluetica ciuitate, seu fœdere alienos Sueuos appellat: & è contra quotquot alius linguæ sunt, Vualos, hoc est uel Italos, uel Gallos nuncupat, etiamsi Scoti, Angli, Hybernifuerint: Hungaricè, Sarmaticè, Bohemicè, Vuindicè, Hamoxobiticè, aut Scythicè loquantur:

quantur: quorum tamen sermo ἀὶς ἀξ̓ πασῶν ab Italorũ & Gallorum idiotismo abest: & quamuis Græci minima gentium pars essent, & Rheni accolæ, Franci, Mysij, Silesij, Saxones, & alij Germaniæ populi sint præter Sueuos, idq; dubio procul partim ob Hebraicæ linguæ idiotismũ, quo partem sæpe συνεκδοχικῶς pro toto accipiunt, partim uerò quod ad uulgus nostrate pertinet, ob rerum ac terrarum imperitiam factum est: ita & Græcis quantumlibet alioquin disertis accidit. Quũ enim authore Polybio lib 3. extremas orbis parteis incognitas haberent, adeoq; nec Gallias, nec Germaniam peragrassent: nomine Celtæ per rumorem duntaxat cognito utrunq; populum trans alpeis sibi incognitum appellabant. Siquidem Strabo lib. 4. refert, Narbonensis prouinciæ populos Celtas primitus denominatos: à quibus uniuersos Gallos postea à Græcis hominibus Celtas appellatos existimat: idq; partim ob eorum claritatem, partim quod id nominis à Massiliensibus hominibus Græcis, & doctis uicinioribus mutuati uideantur. Hinc quoq; factũ crediderim, ut Rhodanus à Græcis etiã Eridanus uocaretur, sicut Oppianus lib. 3. ἁλιευτικῶν ostendit. Imò uerò (præter Volaterrani authoritatem) non parua coniectura adducor, & priscos Romanos eadẽ, qua Græci causa motos, ut Germanos etiam Gallos uocarent. Seruũ nanq; publicũ ad Marium in carcere Minturnano clausum ut occideret eum, missum cũ Plinius, tum Florus Gallũ fuisse scribunt: quẽ Velleius Paterculus, & Valerius Max. Germanũ, ac in Cimbrico bello captũ ferunt à Mario: ideoq; à seruo dominũ statim agnitũ, & impunè dimissum. Quando igitur Celta & Germanum, & Gallũ Græ-

cis significat: uerò non dissimile est, etiam uocem Gallus ue teribus Romanis ita usurpatam. Quin potius ex 5. Eutro pij de Cimbrico bello, & 5. Orosij libro certũ est ita se rem habere. Quũ enim ex hoc constet Tigurinos, et Ambrones Gallorum gentes in Italiam cũ Cimbris, ac Teutonibus minimè profectos, & tamen uterq; Gallorũ nomine Cimbros, ac Teutones notet, quando de illorum in Italia strage loquitur: nemo (ut opinor) negauerit, quin uox Gallus utranq; gentẽ quamuis diuersam, promiscuè significauerit. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.) Strabo ab initio libri 4. huic Cæsaris sententiæ hoc modo subscribit. Aquitanos nõ modò lingua, sed etiã corporibus immutatos, Hispanis magis quàm Gallis similes esse quidam authores sunt. Reliquos uerò Gallica sanè facie præditos: uerum eâdem non usq; quaq; lingua omneis, sed plærosq; paululũ uariata uti. Rerum quoq; publicarũ moderationes, & uiuendi formulas etiã paulisper immutatas esse. Hæc ille. Cæterũ qua lingua ueteres Galli usi sint, infra in hoc eodem libro per occasionẽ disseremus. Quibus autẽ institutis, & legibus ijdem polluerint infrà Cæsar ipse li. 6. De bel. Gal. ad longum tractat. Ammianus item in prædicto lib. 15. & Strabo lib. 4. Quocirca hic multa infercire non est opus. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen.)

Hactenus Galliam diuisit in treis parteis, nunc unamquamq; partẽ iuxta limites suos describit. Antequã uerò illud ordine, & ad plenũ faciat, Belgas, & Heluetios per digressiunculam à bellica fortitudine cõmendat: & eiusdem causas assignat treis, primũ quòd illi à cultissima Romanorũ prouincia Narbonensi longissimè absint; deinde quod merca-

mercatores haud crebrò ipsos inuisant. Quade re Cæsar ipse infrà statim à principio libri secundi De bello Gallico copiosius agit, ubi Neruiorum frugalitatis, ac fortitudinis mentionem facit. Postremò quòd illi Germanis ad inferiorem Rheni partem, hi uerò ad superiorem finitimi sint: quibus cum continentia gerant bella. Porrò quando hic dicit Gallos non omneis Gallici nominis in genere, sed Celtas innuit: quos modo dixerat ipsorũ Gallorũ lingua Celtas uocari, Romanorũ autem Gallos. Qua de causa & Heluetij quoq; reliquos Gallos.) Et hic Gallos Celtas intellige. Quũ enim modo primas fortitudinis parteis Belgis inter omnes Gallos dederit: necesse est, ut Heluetij non nisi in sua, hoc est Celtica regione alios fortitudine antecellant. Alioquin Iulius sibi non constaret, quando ait: Belgas omnium Gallorũ in bellige rando præstantissimos esse. Porrò eâdem de causa dicit Heluetios reliquis Celtis antecellere, qua antea Belgas omnibus Gallis: quippe quòd sicuti hi ad inferiorẽ Rheni partem, ita illi ad superiorem, cum Germanis subinde confligant. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictũ est.) Redit unde digressus erat, nempe ad Celtarum fines describendos, quos antea perstrinxerat. A finibus Belgarum.) suple quos Matrona, & Sequana fluuij constituunt. De quibus omnibus picturam tertiæ Tabulæ Ptoemaicæ consulito. A Sequana autem fluuio Sequani populi dicti sunt: in quorũ montanis locis Burgundiones, & in campestribus Sungani hodie habitant, ut D. Beatus Rhenanus homo doctissimus, & acerrimo in pensitandis antiquitatibus iudicio præditus unà cum alijs eruditis sentit.

Cæterum quando Burgundiones Gallias inuaserint, quan ta gens eorum fuerit, & unde nomen sortita. Paulus Oro= sius lib. 7. cap. 32. & breuiter, & luculenter in hæc indicat uerba: Burgundionum quoq; nouorum hostium nouum no men Valentinianus oppressit, qui plusquã 80. millia ut fe= runt armatorũ, ripæ Rheni fluminis insederũt. Hos quon= dam subacta inferiore Germania à Druso, & Tiberio ad optiuis filijs Cæsaris, per castra dispositos aiunt in magnã coaluisse gentem: atq; etiam ita nomen ex opere præsum psisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, bur= gos uulgò uocant: eorumq; esse prævalidã, & pernicioſam manum, Galliæ hodieq; testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt: quãuis prouidentia Dei omnes Chri stiani modò facti, catholica fide, nostrisq; clericis, quibus obedirent, receptis, blandè, mansuetè, innocenterq; uiuant, non quasi cum subiectis Gallis, sed uerè cũ fratribus Chri stianis. Hæc Orosius Aurelij Augustini σύγχρον&. Ammi anus uerò Marcellinus lib. 28. Burgundios bellicosos, & turbæ immensæ uiribus affluentes uocat: ideoq; metuen= dos finitimis uniuersis. Et paulò post, eosdem sobolem Ro. esse scribit, atq; cum Alemannis de finibus, & Salinis sæpe iurgasse. Hactenus & ille. Porrò salinæ nobilissimæ etiam nũ in Burgundionibus restant, unde toti quoq; Nuichtho= num terræ affatim salis suppeditatur. Cæterũ si quis nosse cupit, quando & quibus prædiți moribus Burgundiones Christianismum receperint: id ex 12. lib. histo. eccleſiasticæ quam Tripartitam uocant, cap. 4. discere potest, ubi sic ait: Quædam insula ultra Rhenũ fluuium est Burgundionũ, Isti uitam quietã agunt, ac penè omnes fabri lignorũ sunt, ex qua

ex qua mercede pascuntur. Quorũ regionẽ Hunni crebra inuasione uastabant, & plurimos occidebant. At illi licet anxietate constricti, ad nullum tamen se hominem contulerunt: sed alicui deo se committere cogitabant. Tum audientes quòd Romanorum Deus fortiter adiuuat ipsum timentes, omnes communi consilio ad credulitatem Christi confugiunt: uenientesq; in unam ciuitatem Galliarum, rogabant ut ab episcopo Christianorũ baptisma mererentur. At ille eos septem diebus faciens ieiunare, ac imbuens fide baptizatos octauo die abire iussit. Qui sumpta fiducia cõtra tyrannos, alacriter festinabant, & spe sua frustrati non sunt. Nam quum rex Hunnorum nomine Suptarus per noctem fuisset ciborum nimia uoracitate corruptus, Burgundiones gentem inimicam sine Duce reperientes, & paucitate plurimis resistentes, facta congressione uicerunt. Nã quum essent istorum tria millia, circiter decem millia peremerũt: & ex illo tota gens feruentissimè in Christianismo permansit. Hactenus illa. Porrò si quis χρονολογίαν requirit, hoc sub Theodosio, & Valentiniano imperatoribus iunioribns gestum est: qui sub annum Dominicum 420. imperauerunt. Belgæ ab extremis Galliæ finibus &c.) Secundam partitionis suæ partem adgreditur, quæ per se quidẽ satis plana est si (ut antea commonui) Ptolemæi tabulam in consiliũ adhibeas. Cæterum haud iniucundum fortasse studiosis fuerit scire, quinam populi nostro seculo hanc Galliæ portionem teneant. Quapropter illud huc ex Volaterrano transcribere non piget. Sequitur, inquit, Belgica, in qua prouincia sunt, huiusce modi nominibus hodie uocatæ Picardia, Flandria, Lotoringia, Nortmannia. Cæterũ si

quis nominis huius rationem requirit, ex hisce Huberti Leodij uerbis fortasse inueniet. Opinatus sum semper Belgas uocabulum esse Germanicum, ideo quia Germani Gallos, & Italos Vuælhen, & nonnulli Vuælgen appellant. &c. Quæ sanè ἐτυμολογία mihi eam ob causam non displicet, quòd in confesso sit, hunc Galliæ tractum magna ex parte à Germanis occupatum. Quo fit ut & ego uerisimile putem, aut ipsos sibi, aut alios transrhenanos hoc nominis indidisse, quòd Gallorum, hoc est, Vualorum terram incolerent. Atq; hanc coniecturam tenebo, quatenus ex bonis authoribus edoctus fuero, huic Galliarum regioni hoc fuisse uocabulum, antequàm Germani in eam migrauerunt. Aquitania à Garumna flumine &c.) Tertia, & ultima susceptæ diuisionis pars, quam Galli hodie (Iucundo homine eruditissimo, & antiquitatis studiosissimo teste) Guiennen uocant. Pyrenæi autem montes, qui Gallias ab Hispanijs hic disterminãt, à Germanorũ peregrinatoribus, qui Compostellam inuisunt, der Runtzeual dicuntur. Apud Heluetios longè nobilissimus, & ditissimus fuit Orgetorix &c.) Quæ hactenus dixit exordij loco posita sunt, nunc ad narrationem accedit: quam ut magis perspicuam reddat, primum Heluetici belli occasionẽ ac ueluti semina quædam recenset: Deinde Helueticæ ciuitatis terminos, & quantum spacij eiusdem ambitus contineat. Postremò ubi cum Heluetijs conflixerit & quo pacto eos superauerit. Atq; hæc prima huius lib. (ut in Argumento diximus) pars est. Cæterum Orgetorigis potentia, ac opes hinc æstimari possunt, quòd Cæsar ipse paulò inferius familiam eius circiter hominum millia decem fuisse

ait

ait, præter clienteis, ac ære alieno obstrictos. Vnde discimus tantam unius hominis potentiam, ac diuitias liberæ cīuitati nunquàm, aut saltem rarenter bene cedere. Quemadmodum enim Orgetorix ille potentissimus, ac locupletissimus homo numerosa familia, clientela, ac perditissimorū quorumq; caterua stipatus, primum nobilitati, deinde toti ciuitati duobus argumentis persuasit, ut finibus suis exirent, Primum quòd inter Celtas omnium fortissimi, deinde quòd pro hominum multitudine, & uirtute nimium angustos haberent fines, & publicum quidem decus, ac cōmodum prætendens suæ ambitioni, & lucro seruiebat: ita plærique ignobiles nobiles, ac impotenter potentes, etiamnū factitant. Discendum est & hoc, quòd Cæsar Latinæ linguæ studiosissimus ciuitatem Heluetiorum hic, & alibī Heduorum, Neruiorum &c. profœdere, seu ut barbarī quidam loquuntur, liga accipit. Proinde Heluetiorum cō fœderationem propriè, signatè, ac Latinè locuturus Helueticam ciuitatem uocauerit, Germanicè die Eidgnoschafft, seu ut exteri Germani in more habent, das Schuuizerland, à parte totum denominantes. Suitia enim non nisi unus, & exiguus Heluetiorum pagus est. Siquidem consensu eruditissimo definitore, est multitudo hominum collecta ad statum rerum suarum tuendum per se sufficientem: quæ consensu sit legum uitæq; coniuncta. Et secundum Auli Gellij sententiam lib. 18. cap. 7. noctium Atticarum, quatuor significat, locum, oppidum, ius omnium, ac hominū multitudinem. Vna ex parte flumine Rheno latissimo &c.) Nūc per eā occasionē quā paulò

antè attigimus, Heluetiorum fines à tribus mundi plagis describit. Rheno nanq; latissimo, & altissimo fluuio uersus Solem orientē Heluetij à Germanis disterminantur. Versus occasum Iura monte, uersus meridiem lacu Lemano, & flumine Rhodano, qui prouinciam Romanorū Narbonensem ab Heluetijs seiungit. Qua de re uide D. Glareani doctissimi Heluetij descriptionem: & D. Aegidij Tschudi Heluetiorū in prouincia Badena olim proconsulis, eruditissimi uiri tabulam. Cæterum tria adhuc elucidanda sunt, primò agrū hic non pro aruo, sed territorio, seu ditione accipi, quemadmodum Varro de lingua Latina agrū Romanum, peregrinū, Campanum &c. uocat. Sic elegan ter dicitur Latinè, totus Tigurinorū, seu Bernatū ager in armis est, die gantz Landschafft ist im harnist. Deinde Iuram, seu Iurassum (ut Strabo uocat) iuxta Iucundi Veronensis sententiam Gallicè S. Claude, ab Allobrogibus autem, siue Sabaudis accolis semiRomana lingua utentibus, & qui nunc ditionis Bernatium sunt, Iurten ab ea parte appellari, quasyluosissimus, & hactenus sub ducis Caroli imperio mercatoribus parum tutus, appellari munc. Ab Heluetijs autem recentioribus ab hepatis cocti similitudine Leberberg idem mons uocatur: eo quòd hepatis elixati colorem saxa (quorū magna in eo copia est) referant. Non enim eorū sententiæ astipulor, qui Germanicū ἔτυμον à castris deriuant, quasi dicas castrorum mons Legerberg: eo quòd uestigia & inscriptiones quædā testentur, Iuliū Cæsarē isthic castra metatū esse. Ea nanq; ratione multi montes id nominis assecuti essent. Dubio enim procul in multis ille castra sua per Gallias fixit. Huc accedit quòd Germa

nis

nis (unde maiores nostri trans Rhenum ortũ habent) in more est, peregrinam uocem aut nonnihil decurtare, & ad Germanismi formam detorquere: aut prorsus nouam nomenclaturam à rei circumstantijs fingere: Et enim sic ab Alemannis Auenticum appellare nescientibus factum uidemus, ut illud à turrium frequentia Viliburgum uocitarent. Qua de re inferius fusius disseremus. Postremo Lemanus lacus posterioribus sæculis à Lausanno oppido adiacente Lausannensis nuncupatur. Et à Senatu, populóq; Ro. amicus appellatus erat, &c.) Liuius lib. 1. de bello Macedonico refert, neminem solitum esse regem, sociũ, & amicum à senatu, populóq; Ro. appellari: nisi quis optime de rep. Romana meritus esset. Inter se fidem, & ius iurandum dant.) Elegãtiæ hic obseruandæ sunt, Dare fidẽ, pro fide interposita polliceri, & Dare iusiurandum, id est, iuramento se obstringere. Et regno occupato per treis potentissimos populos.) suple Sequanicũ, Heduum, & Helueticum, ita ut Casticus Sequanorũ, Dumnorix Heduorum, ac Orgetorix Heluetiorum regnum obtineret. Cæterum (ut pleriśq; Gallicarum rerũ peritis placet) Sequani olim eum tractum incoluerũt, qui nunc Burgundiæ Comitatus nuncupatur: Hedui uero Burgundiæ ducatũ inhabitabãt qui à longe celeberrima, ac opulẽtissima urbe Augustodu no etiamnũ à Gallis Autũ uocatur, ut D. Ioachimus Vadiamus immortale Heluetiorũ decus in suis super Melam scholijs annotauit, & Iucundus quoq; admonet. Ea res, ut est Heluetijs per inditiũ enuntiata.) quo uidelicet pacto Orgetorix regnum in sua ciuitate affectaret. Vbi duo notanda sunt, unum quàm obseruantes iustitiæ, æquitatis, &

quã acres libertatis ſuæ uindices fuerint ueteres illi Helue-
uetij. Alterũ quã periculoſum ſit, reip. liberæ, unũ aliquẽ
ex ciuibus tã longè latetq; potentẽ fieri. Niſi enim Orgeto
rix in uinculis mortuus eſſet, ciuile inter Heluetios bellũ
unius potentis, ac prædiuitis hominis cauſa conflatũ eſſet.
Vt igni cremaretur.) Hunc morẽ exurendi reip. perturba
tores, ac ſeditioſos antiquiſſimũ eſſe ſacræquoq; literæ te-
ſtãtur. Ieremiæ namq; 29. & Dan. 3. legimus treis pſeudo-
prophetarũ coryphæos, & turbulentos homines cõcrema-
tos &: Danielẽ cũ ſocijs duobus in fornacẽ ardentẽ cõiectũ
quod publicũ regis Nabuchodonoſoris edictũ neglexerat.
Vbi iam ſe ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt.) Quĩ
primus hoc conſiliũ in Heluetiorũ cõuentu dedit, ut omnia
præter cõmeatum aditer neceſſarium domi incenderent,
haud dubie aut ipſe Thucydidis hiſtoriã legit, aut rumore
eam cognouit: uidelicet Atheniẽſes in bello cum Pelopone
ſiacis geſto, ex Periclis hominis & eloquẽtis, & manu ſtre
nui ſuaſu terrã ſuam cum ſuburbanis pro derelictis habu-
iſſe. Propterea quod non uillæ, & agri, qui amittuntur: ſed
corpora deploranda ſint. Non enim ait Pericles, poſſeſſio-
nes uiros, ſed uiri poſſeſſiones nanciſcuntur. Perſuadent
Rauracis, & Tulingis, & Latobricis finitimis.) Baſilien-
ſem agrũ à Rauracis quondã in habitatũ eſſe, argumẽto eſt
Auguſta Rauracorũ: cuius ruinæ circiter mille paſſus ſu-
pra Baſileã, quà Rhinfeldiam itur, etiamnũ apparent. Tu-
lingos Raimundus Marlianus rectè Lotharingos interpre
tari uidetur. Hi namq; Heluetijs uerſus Aquilonem inter
Vogeſum montẽ, & Moſellã fluuium uicini ſunt, ut Cæſar
de Tulingis narrat. Cæterũ an eiuſdẽ Marliani, & Vola-
terrani

terrani coniectura de Latobricis, seu Latobrogijs Paulus Orosius habet, uel ut alia legũt exẽplaria, Latouicis, aliqd ponderis habeat, non facile pronunciauerim. Dubiũ enim adhuc apud me est, an Lausannẽses (quorũ sedes à Latobricis illi olim inhabitatas ferũt) Cæsaris tẽporibus Heluetijs nõ fuerint, & uel in Vrbigenensi, uel Nantuatũ pago recensiti non sint: an Heluetiorũ finitimi, & auxiliares. Sed quum Cæsar infra Heluetiorũ fines usq; ad Geneuæ pontẽ pertinuisse, & supra, mõte Iura eos occasum uersus termi nari affirmet, magis adducor, ut credã Lausanenses tunc Heluetios fuisse, & per Latobricos Vallesianos intelligẽdos. Apud hos. n. adhuc uicus est Brig Germanico more pro Latobrig mutilatũ uocabulũ. Huc accedit, quod Vallesij ne nostro quidẽ sæculo in aliquo Heluetiorũ pago recẽseantur: sed quẽadmodũ Rotuilenses, Sangalẽses, Doggenburgij et Leopontij Helueticis pagis, fœdere iuncti sunt. Atq; hæc mea coniectura est, q̃ ita seruabo, & tenebo, dum certiorẽ didicero. Quod si quis interim legere uult diuersam sententiã cũ de Tulingis, tũ Latobricis, Heluetiorum tabulã Tschudi Proconsulis opera depictã uideat, & diligenti trutina utriusq; nostrũ sensum expendat, ac dein utri uolet subscribat. Boiosq; qui trans Rhenum incoluerant.) Trans Rhenũ Boios ideo incoluisse dicit, quod in hoc eodẽ li. ait, eos tandẽ in Heduorũ finibus cõsedisse. Cæterũ Strabo li. 7. asserit, Herciniã syluã prius ab eis inhabitatã, quæ eandẽ ob causam nostro adhuc æuo Boiohemica uocatur. Qua de re doctiss. uir B. Rhenanus sic scriptum reliquit. Boios illos priscos, qui in Italiam olim ex Gallia transcenderant cum alijs quibusdam nationibus, iam uictores,

Consule

consule Marcello oppresso, Furius alter Consul ad unum ferè occidit. Iterum à Scipione manus alia Boiorum deletur. Eam uero Boiorum partem, quæ in Hercinio nemore cõsederat (unde adhuc loco Boiohemi nomen) incly tus ille Marcomannorum populus eiecit: qui trans Danubium pulsi, quum Noreiam frustrà oppugnassent, errore uago tandem ad Heluetios delati sunt, excidium Galliarum meditantes. Hæc ille. Porrò Plinius lib. 3. cap. 19. Noreiam Taurisco rũ (quos Volaterranus li. 7. Geographiæ Noricos interpretatur) oppidum esse commemorat. Strabo autem lib. 5. non longe ab Aquileia ponit: ubi & Cn. Carbonem collatis signis aduersus Cimbros, re infecta discessisse refert. Vnum per Sequanos angustum, & difficile &c.) Has angustias, & Galli, & Germani Clusam nũc uocant, in qua perquam munitum propugnaculum in præruptis, & altis Rhodano imminentibus saxis positum Bernates solo æquauerunt, Anno Domini 1536. quando Sabaudorum perfidia, & iurisiurandi religione quod Geneuensibus ciuibus suis dederant, coacti sunt imperatore & auspice prudentissimo simul ac fortissimo uiro D. Francisco Negelino expeditionem in Allobroges facere. In qua quicquid cis Rhodanũ est, & paulò ultra Clusam in suam ditionem, fauente ipsis diuina clementia, redegerunt: idq; mense Ianuario cœptũ, & in Februarij exitu finitum est. Alterũ per prouintiam nostram &c.) Supra dixit Cæsar, Heluetios tertia sui parte lacu Lemano, & flumine Rhodano contineri: qui Narbonensem Romanorũ prouinciam ab eis diuidat. Ex quo loco, & tertia Europæ apud Ptolemæum pictura cognoscitur, facilius, ac expedi

tius Heluetijs iter in Gallias fuisse per prouintiam. Qui nuper populo Romano pacati erant.) M. C. in Oratione de prouintijs consularibus refert, ante Iulij Cæsaris bellũ cum Gallis gestum, semitam tantum Galliæ à Romanis obtentam: C. enim Pontinum fortissimum uirum, ortum repente bellum Allobrogum, atq; scelerata coniuratione excitatum prælijs fregisse, eosq; domuisse, qui lacessierant, & ea uictoria contentũ, rep. metu liberata, quieuisse. Ammianus autem Marcellinus Fabium Maximum à deuicta & prorsus domita Allobrogum gente, Allobrogicum cognominatũ asseuerat. Quorum posterius Cæsar haud dubiè hic innuit, quando ait, Allobroges paulò ante à Romanis pacatos esse. Porrò ueterum Allobrogum sedeis nunc Sabaudi tenent, quos Volaterranus lib. 3. Geographiæ à Sabatijs uadis, & populis, Ptolemæo, cæterisq; inter alpeis positis, dictos esse autumat. Isq; nonnullis locis uado transitur &c.) Strabo lib. 4. accipit, inquit, Rhodanus & Ararim, & Dubim: inde usq; ad Sequanã fluuiũ uadatur. Dictus est autem Rhodamus à Rhodo oppido Rhodiorum colonia, assertore Plinio lib. 3. cap. 4. Extremum oppidum Allobrogum est, proximumq; Heluetiorum finibus Geneua.) Hanc urbem plæriq; docti in Gallijs, & Germania, Gebennas nimirum à Gebennicis montibus illi tamen nõ uicinis (nescio qua authoritate freti) uocant: quum tamen in promptu sit Cæsaris nomenclatura, quæ & Gallicam, & Germanicam syncopam, & crasum Geneu, & Genff pulchrè refert. Quæ sanè non solum antiquitate, & emporio clarissimo (quod inde Lugdunum translatum est) decantata iam olim fuit: uerum etiam recens propter grauis-

simam

mam obsessionem, & sui liberationem celebrior facta est. Quum enim Geneuenses Cochleariorũ (nobilium Allobrogum conspiratio erat, qui argẽtea Cochlearia in pileis gestabant) manu undiq; obsidione cincti essent, ac tanta fame laborarent, ut lactentes infantes pro lacte sanguinem ex matrum & nutricum uberibus sugerent: iusto exercitu per prædictos Bernates ciues suos obsidione liberati, ac in libertatem ita uindicati sunt, quicquid iuris in Geneuenses aut Episcopus, aut Dux habuit, eis remissum sit per uindices. Adhæc iurisdictionis pomeria dilatata sunt adeò, ut quum antea nihil iuris extra mœnia haberent, nunc aliquousque imperent. Pro qua uindicatione Bernates nihil aliud postulârunt, quàm ut militibus stipendia numerarent, & ne cui aut Principi, nationi, aut urbi se cõiungant præter ipsorum uoluntatem. Quod beneficium (si modo sapit, & pia est) Geneua perpetuò agnoscet: & uicissim de suis benefactoribus, ac uindicibus bene mereri studebit. Is dies.) scilicet dictus, id est, constitutus erat ad quintũ Calendas Aprilis, hoc est 28. Martij. Erat omnino in Gallia ulteriore Legio una.) Legio à legendo, id est eligendo nomen habet, continetq; (Vegetio lib. 2. cap. 6. testante) peditum sex millia centum: equites septingentos, & 30. Ad idus Aprileis reuerterentur.) id est ad 13. diem Aprilis. Qui in flumen Rhodanum influit &c.) Quo pacto lacus Lemanus se ad Geneuam in Rhodanum effundat, uide nouam Galliæ tabulam apud Ptolemæum. Cæterum de ortu & exitu Rhodani Pomponius Mela ita sentit lib. 2. Nõlonge ab Istri, Rheniq; fontibus Rhodanus surgit, deinde lacu Lemano acceptus, tenet impetum: & quũ se per

medium

medium lacum egerit, tantus egrediuur, quantus uenit. Hæc ille. Quàm longè aũt à Danubij, & Rheni fontibus Rhodanus oriatur: certiora lege in Vadiani noſtri ſuper Melam ſcholijs, & apud Proconſulem Tſchudum in Rhetiæ deſcriptione. Murum in altitudinem pedum ſexdecim.) Huius muri ruinas, & ueſtigia quædã etiamnũ extare ij aſſerunt, qui iſtius tractus loca perſpexerũt. Id quod mihi fide digniſsimus D. Nicolaus ad Pueros Bernâs, acuir non tantum eruditione, uerumetiam pietate ſyncera clariſsimus, Bernæ recenſuit. Caſtella communit.) Vegetius lib. 3. cap. 8. Caſtella diminutiuum à caſtris eſſe dicit: intra quæ in angarijs aliquãti pedites, equitesq; degentes, tutum iter commeatibus præſtarent. Si perrumpere poſſent.) Si pro an, Græca dicẽdi forma. Græci nanq;, Ei pro cõditionali, dubitandi, & interrogandi particula uſurpant. Relinquebatur una per Sequanos uia.) Supra Cæſar ait, non niſi duo itinera fuiſſe, quibus domo in reliquas Gallias Heluetij exire poſſent: unum per prouintiam Romanam, alterum anguſtum, & difficile inter Iuram, & Rhodanum fluuium. Quum ergo per planius, Cæſaris moleſtatione impediti ire non poſſent, ſupererat, ut (ſi modo inſtitutum iter abſoluere uellent) per anguſtias illis eundum eſſet. Iter in Santonum fines facere, qui non longe.) Sanctones, inquit Volaterranus nomen ſuum ſeruant, quorũ urbem Mediolanum Strabo, & Ptolomæus ponũt. Hæc ille. At ſi quis 3. Europæ tabulã rimetur, uidebit Santones longiuſculo ſpatio à Toloſatibus diſtare. Horũ enim Colonia in extremis prouintiæ finibus: illorum uero regio fermè ab initio Aquitanicæ Galliæ eſt ad Oceanum

porrò

porrò Santones uernacula nunc Gallorum lingua Saint gonge nũcupantur, si Iucundo credimus. Ei munitioni.) id est, muro, quem aduersus Heluetiorum impetum duxerat. Quæ circum Aquileiam hyemabant &c.) Strabo li. 5. ait, Aquileiam ad sinum Hadriaticum sitam, à Romanis conditam, & incumbentibus barbaris impositam esse. Ad eamq; flumine onerarijs nauibus nauigari per Natisonem fluuium plus stadijs 60 &c. Liuius uero li. 10. belli Macedonici refert Coloniam Latinam eo anno Aquileiam quo Manlius Prætor secunda aliquot prælia cũ Lusitanis in ulteriore Hispania fecit, in Gallorum agro deductam esse. Vide sextam Europe tabulam apud Clau. Ptolemæum. Et qua proximum erat iter per alpeis &c.) Quum ex Aquileia tres legiones ex Hybernis eduxisset, & inde in Galliam ulteriorem quà proximũ erat iter, contenderet Cæsar: Graiæ alpes superandæ erant, quæ nunc minor Bernhardi mons uocantur. Hæc enim uia rectà ad Centrones ducit, quorum ciuitas in Sabaudia posita, nunc Tarentasia uocatur. Vbi eidem Cæsari non tantum cum Centronibus, uerumetiam cum Garocelis, & Caturigibus hominibus feris in alpibus dimicandum erat. Porrò de itineribus ex Italia in ulteriorem Galliam legito Strabonẽ sub ipsum finem li. 4. Ab Ocelo, quod est citerioris prouintiæ extremum (sic enim distinguendus est contextus) in fines Vocontiorũ ulterioris prouintiæ, &c.) Ab Ocelo, inquit Cæsar postremo Galliæ citerioris, hoc est Togatæ oppido septem dierum spatio se in fines Vocontiorũ peruenisse, qui in Narbonensi Romanorum prouintia siti sunt. Cui rei mi3. & 6. Ptolemæi Tabulã adiungas, & locorũ

situm

situm consideres: isthæc omnia tibi obscura manebunt, & uti Cæcus de coloribus disputabis. Multum etiam te ad hunc locum planius intelligendum iuuerint cum Marliani, tum Proconsulis nostri de Ocelo, siue Oscelo cõmentationes. Ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit. Hi sunt extra prouinitiam trans Rhodanũ primi.) Quandoquidem Allobroges Ro.cis Rhodanũ habitant, & Rhodanus (testante Cæsare) Heluetiorum fines à Ro. prouintia diuidit, & idẽ hic ait se ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum duxìsse, qui extra Narbonensem prouintiam trans Rhodanum primi populi sint, relinquitur eum post tergum relicta prouintia se in Celticam contulisse Galliam. Qui autem sint Sebusiani, & ubi nam siti, præter Cæsarem hoc in loco, & Marlianum, nullũ nec ex priscis, nec ex neotericis Geographis deprehendere potui, qui negotiũ explicaret. Quum ergo huius adnotatio ad præsentis loci claritatem multum faciat, eius uerba huc transcribenda esse duxi. Sebusiani, inquit, populi sunt inter Celtas extra Galliam prouintiam Romanorum trans Rhodanum (ita enim legendum est, non Rhenum, ut isthic apud Marlianum, & in multis commentariorum Cæsaris exemplaribus corruptè legitur, Néq; enim Cæsar Rhenum Galliæ limitem tum transgressus est) primi: Allobrogibus, Sequanisq;, ac Heduis (quorum erant clientes) finitimi, inter Lausannẽsem, & Lugdunensem diocœsim siti: quos Bellicenses esse coniectura est. Ciuitas est episcopalis in prouintia Bisũtina, duci Sabaudiæ subdita, siue eius antistiti. Heluetij iam per angustias, & fines Sequanorum &c.) Redit ad Heluetios, docens quonam pacto per Clusam in Se-

quanos penetrauerint, quandoquidem per Cæsareanos mi lites eis per expeditius iter in prouintiam Romanorum proficiſci non permittebatur. Quod autem Heduorum po tius quàm Sequanorum agros deuaſtauerũt, hinc factum haud dubie eſt: quòd his, nõ illis fidem, & obſides dederãt, ſe abſq; ullo maleficio eorum fines pertranſituros eſſe.

Ambarri quoq; neceſſarij, & conſanguinei Heduorũ.) Nec de his populis quicquàm uel apud priſcos, uel recen tes authores inuenio, niſi apud unum Marlianum, & Iu cundum. Nam Lau. Phryſius eadem ijſdem uerbis in Pto lemæi iudicem tranſcripſit. Ille ergo de eis ita ſcriptum re liquit. Ambarri inquit, Celtas neceſſarij, & conſanguinei erant Heduorum, quos quidam opinantur eſſe Borbonien ſes. Nonnulli autem quod fuerint Niuernenſes Heduis fi nitimi: ſiue pro parte Bituricenſes, alluſione uocabuli, quo ætas noſtra utitur, Ambarros nanq; dicimus ciuitatũ cli entes, ſeu adhærẽtes. Oppidũ aũt Ambarrorũ pagus ſemu rius, ſiue mons Barri dicitur. Iucundo authore Ambarri populi ſunt, qui Gallicè nunc Semar, & Montaruocantur. Plumem eſt Arar, quod per fines Heduorum.) De Araris origine, exitu, nominis mutatione, ac flexu nemo rectius ſcripſiſſe mihi uidetur, q̃ Marlianus, Rhenanus, & Marcel linus. Proinde priorum uerba huc ita ſubſtituere placet ut poſtremi ſententia non omittatur. Arar (inquit ille) Celti cæ fluuius eſt, nunc La Sone uocatur. Oritur in Diocœſi Tullenſi finibusq; Burgundiæ, & Lotharingiæ, non lon gè à monte Voſego, exquo & Moſa flumen profluit. Inter ſecat tum eam Burgundiæ partem, quæ imperatoria: tum eam, quæ Regia dicitur. Illi Comes (ut hodie loquuntur)

buic

huic dux à Francorum rege institutus præerat: qui tamen mortuo Carolo Philippi, ab Heluetijs occiso, ad supremũ ius regiũ adscriptus est, ut nullus adhuc Burgundiæ dux sit, sed comes tantũ. Intersecat Gabillonẽ, ac Matisconẽ ciuitates tunc Heduorũ oppida: prolapsus Lugdunũ urbẽ, Rhodanũ influit. Hactenus ille. Hic uero li. 1. rerũ Germanicarũ ita disserit: Magnã Lotharingiæ partẽ Germaniæ prima olim cõplectebatur. Vt minus mirandũ sit, quod Ammianus fontem Araris Germaniæ primæ tribuit: sic lib. 15. scribens, ubi de Rhodano loquitur: Et emensus, inquit, spatio flexuoso Ararim (quẽ Sanconnã appellant) inter Germaniã primiam fluentem suũ & nomẽ ascisçit. Oritur aũt Araris proxime Vosaginas alpeis in Colimitio Sequanorũ & Germaniæ primæ. Proinde & Maro de hac Germania prima locutus uideri potest in Carmine Bucolico, quũ inquit: Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim Hæc illi. Vnde satis cõstat, Arulã ditionis Bernatis fluuiolũ non eundẽ esse cũ Arare. Ille enim non in Burgundiæ, ac Lotharingiæ cõfinio, sed in Heluetiorũ finibus ortũ habet. Oritur nanq; ex summis alpibus ad uillã, cui Germanice Bonæ pino nomẽ est, non procul à Rhodani, & Rusæ, siue (ut Tschudo placet) Vrsæ fontibus. Deinde Hasliensem præterlabitur tractũ, donec in Brientiensem illabitur lacũ. Vnde se rursus effundens Cœnobiũ, & oppidulũ Interlacense alluit, & paulò inferius Dunensem ingreditur lacũ: quẽ paulò supra Dunũ oppidũ deserens, Bernã petit, eamq; fibulæ in modũ amplectẽs, mira flexuositate sursum aliquousq; infra eã labitur, donec Arbergã attingat. Vbi maiore cũ impetu deorsum fertur, præterfluens Byrenam, Solatur

Solaturrim, Aruuangiam, Arburgum, Arouiam, Brugas & Vindonissam: sub quibus Rusa, & Limago auctus prope Confluētiam Helueticam Rheno miscetur. Qua de re Proconsulis tabulam consulito. Vbi per exploratores certior factus est, treis iam copiarum parteis Heluetios id flumen transduxisse.) Ex his, & sequentibus Cæsareanis uerbis (ubi ait Heluetiam ciuitatem in quatuor diuisam fuisse pagos) manifestum fit, Heluetios copias suas pro pagorū numero diuisisse: & aliū pagū post alium copias suas Ararim traduxisse. Quod uerbi cū Germanico uberfuren pulchrè quadrat: quū alioqui Latini dicant transportare exercitum, & absolute transmiterre, & traijcere, uberfarn Quartam uero partē citra flumen Ararim reliquā esse.) Citra. i. cis fluuiū Ararim suple uersus Clusam, & Iurassum montem. Notandū etiā quod Romani noctem in quatuor uigilias diuiserunt, ita ut duæ ante: alteræ uero duæ post intempestā noctem haberentur, Vbi nos in duas duntaxat uigilias noctē diuidere solemus. Quando igitur Cæsar ait se tertia uigilia cum tribus legionibus è castris profectū, ante solis exortū id accidisse innuit. Porrò ipse Cæsar Tigurinos (teste Plutarcho) non concidit: sed legatus eius Labienus. At quod ipsius ductu factum est, rectè sibi uendicat Cæsar. Is pagus appellabatur Tigurinus.) Pagū Cæsar id appellare uidetur, quod Italorū, & Gallorū uulgus uoce parum Latina Canthonem uocāt, quoties de Heluetiorū pagis mentionem faciunt: metaphora nimirū à canthis. i. ferreis rotarum extremitatibus, seu oris sumpta. Vnde autem pagus in hoc significatu, quo Cæsar hic utitur, dicatur: post Sextum Pompeium Festum D. Glare

anus

anus Heluetiæ noſtræ ciuitatis ornamentum perpetuum hiſce uerſibus planum facit:

Et Græci πυγήν, pagum fortaſſe Latini
Totius fluuij ſulcos dixêre propinquos:
Et uillas iuxtà poſitas, uicoſq́, caſasq́.
Non etenim credo pro uico dicere pagum,
Scripta monent aliud, teſtisq́ adducitur hoſtis.

Hæc ille. Cæterum quia plærisq́ Gallicarum antiquitatũ expoſitores Tigurinum pagum eum tractum eſſe putant in Heluetijs, quem Thuregium oppidum complectitur cũ ſuo agro, & unus Rhenanus aliam Tigurinorum ueterũ ſedem ſtatuit. Principio huius argumẽta penſita bimus, ac deinde ne parum gratus alumnus cenſeri queam, in patriæ noſtræ laudem ea ſubnectemus, quæ ad illius celebritatem facere uidentur, nempe originem, progreſſum, & præſentis reip. ſtatum. Vt ergo pace tanti uiri, ac mihi ob eruditionem, ac pietatẽ omnibus modis ſuſpiciendi, dicam quæ ſentio, argumenta eius (quæ mihi ſaltẽ uidere licuit) inualida eſſe uidentur. Nam quod primum exiſtimat ueterũ Tigurinorum ſedes ibi fuiſſe, ubi nunc Vrienſes habitant, & pagum etiamnũ ob id Vri mutilata uoce quaſi Tiguri nominari: duplici ratione refelli poteſt, Vna quod ij, qui etymologiam uocũ quarumlibet uenantur, plærumq́ & fallunt, & falluntur, præſertim in longo uſu antiquatis uocabulis, & rerum, ac hominum mutationibus. Altera, quod Vriani pagi ſitus ipſe teſtatur, tam populoſam nationem iſthic nunquam habitaſſe, qualem Tigurinorũ fuiſſe ex rei circunſtantijs apparet. Quum enim Cæſar paulò poſt ſcribat patrũ ſuorum memoria L. Caſsium cõſulem à Tigurinis occiſum,

occisum, & eius exercitũ sub iugũ missum esse: non cõtemnendam hominũ manũ fuisse oportet, quippe quæ tam insignẽ consulari exercitui calamitatem inferret. Quæ sanè multitudo in tantis angustijs (quantas Vrianorũ esse memorant) locũ habitandi idoneũ non habuisset. Vt taceam interim, quod uero simile est, tũc temporis meram isthic solitudinẽ fuisse: aut saltem perpaucos pastores, imò uiarum trans alpeis ducentium grassatores ea loca inhabitasse. Ad quam coniecturam stabiliendam Heluetiorũ annales faciunt: qui tradunt Vrienseis ab Humis originẽ trahere, qui illic consederint, quando Gothi, Huni, & Vandali in Italiam irruperunt: atq; inibi terram incultam, & syluosam colere cœpisse. Huc etiam facit quod cum Cæsar infra Heluetios deuictos domũ à se remissos propter agri bonitatem: tum Strabo lib. 7. eosdem in Campestribus non montanis locis habitasse narrat. Proinde quãdo Vriana regio & montuosa, & præter boum pascua, nec frumentũ, nec uinum ferat: uix adducar, ut credã adeò illustrẽ Heluetiorum pagũ in tam sterili tractu egisse. Deinde nec hoc satis firmũ argumentũ est eam ob causam Tigurinos in Vriensium tractu habitasse, quod sedibus suis pulsi nouas quærerẽt, dum se Cimbris coniungerent. Etenim Strabo li. 7. Tigurinos, & Tuginos (sic. n. legendũ æstimo) à Cimbris tantũ in belli societatẽ solicitatos esse scribit. Nec ipse tãtumodo uerumetiã Eutropius, & Orosius tradũt Tigurinos, & Ambrones cis alpeis à Ro. ad internetionẽ occisos. Vnde duo colliguntur, unũ quod uero simile sit, ultrò quosdam ex Tigurinis se Cimbris solicitantibus cõiunxisse, nec sedibus suis pulsos: eò quod Strabo ait Cimbros se inter Eluetios

præcipuæ

præcipue ad Tigurinos, & Tuginos contuliſſe. Alterum quod nec poſtea nouas ſedes inquiſiuerint, quum ad unum omnes interierant, qui ſe Cimbris coniunxerant. Sed dices nunc, plus ne ergo aliorum ſententia tibi arridet, quī opinantur, ueterum Tigurinorū ſedeis ibi fuiſſe, ubi nunc Zurichinorum ditio eſt, & qui pagus etiamnum primas inter Heluetios tenet? maxime. Nam ſiue quis nominis ἔτυμον, loci, & tractus totius ſitum, & uetera urbis monumenta reſpiciat: nec nobis probabilia argumenta deſunt. Principio enim duæ maioris oppidi partes à pago denominantur: nempe ſuperior, & inferior pagus, Germanice uff dorff, inn nider dorff. Quod ſi autē Tigurinarum rerum peritus quiſpiam contenderit, oppidum recentius uideri, quàm ut Iulij Cæſaris ſæculo fuerit: illius ſententiam non admodum improbauero. Eſt enim pagus paulò infra Thuregum, cui priſco oppido Germanice Altſtetten nomē: ſub quo ad ſiniſtrā in montana eundo circiter dimidiū miiare alius Pagus eſt nomine Vrdorph: cuius argumentū propius ad Latinā denominationē Tigurinus pagus accedit, quaſi dicas, Tigurdorph, uoce ab initio truncata. Si cui ergo placet, aliā Tigurini pagi ſedē fuiſſe, q̄ ubi nūc Tigurūurbs eſt: in iā dictis locis citius fuiſſe crediderim q̄ apud Vrios. Non enim longe à Thermis Heluetiorū, Vrdorphū diſtat: ubi ueterum Heluetiorum municipium (Rhenano authore) fuit. Adhæc præter alia uetuſtatis inditia præ grandis caſtri ruinæ illic uiſuntur unà cum fornice, quam uulgus noſtrate uinariam Ethnicorum cellam (Germanice den heidē Keller) nominat. Vnde ueriſimile eſt Alemanos ut Vindoniſſam, ſic & illas ſtructuras demolitos eſſe:

& Tigurinum pagum uel ex Gallicæ, uel Latinæ linguæ etymo in Germanicam linguam deflexum esse à nouis incolis perinde ut Vindonissæ, & Augustæ Rauracorũ euenit. Vtut autem coniecturæ istæ se habeant, dubium mihi non est: quin Tigurinus pagus in eo tractu fuerit, ubi nunc Zurichinorum ager est, & oppidum. Etenim Germanorum nomenclatura à Latino uocabulo non multum abhudit. Siue enim Latinè Thuregum, siue Thuricum, siue Tigurinus appelletur pagus: certe uox Zurich illas nomenclaturas aliqua ex parte refert, quasi dicas Thurich, uel Tigurich. Nam quod Glareanus noster oppidum Tigurũ uocat, terminatione analogica urbium, & metri causa potius quàm authoritate scriptoris alicuius Latini feciſſe uidetur. Vero enim simile, cum oppidum, tum populũ eadem appellatione appellatos: quemadmodũ & Parisij, & Mediomatrices, ita ut si quid in oppido factum, Tigurinis gestũ diceretur, sicuti Parisijs, & Mediomatricibus. Deinde si quis Zurichinæ ditionis situm, commoditatem, & amœnitatẽ consideret: hanc sedem priscis Tigurinis non indignam fuisse affirmauerit. Præterq̃ enim quod frugũ, pascuorũ, frumentorum, uini, & fructuũ suauissimorũ ferax est: quatuor piscosissimos lacus habet, Tigurinũ, Gryphensem Psephicensem, & Catilacũ. Zurichinus aũt ut omniũ maximus, ita & cõmodissimus est: propter merces, quæ ex Insubribus, Suiteris, Vrijs & Glareanis importantur, & uicissim ex Tigurinis exportantur. Ad quam cõmoditatem Limagus fluuius (quẽ lacus in oppidi faucibus effundit, & qui eandem intersecat mediam) plurimũ facit. Hinc enim fit, ut frumenta, uina, & aliæ merces rectà nauibus impo-

ni que-

pi queant. Eiusdem præterea lacus, ac fluuij beneficio ciues Tigurini commodissimè & materiantur, & lignantur. Ad quam rem non parum facit etiam Sila fluuiolus qui ex mõtanis ortus sub ipso Tiguro minore se in Limagum effundens: materiæ ac lignorum ὁmnis generis copiam sub uer & autumnum ex niuibus montium liquefactis inundans, ciuibus ijsdem aduectat. Quorum utrunq; nisi eret, Tigurini magna utriusq; rei penuria laborarent. Ne dicam interim quòd Limagus fluuius limpidissimus in urbe duobus pontibus stratus, & prægrandibus duabus rotis ad aquandum instructus: præter aquæ usum uarium et pisces lacuinis meliores, oculos mirè pascit, & deambulacra commodissima suppeditat. Nec is solum, uerumetiã area innumeris tilijs consita, & in ædito minoris oppidi loco sita omnis generis ludorum materiam præbet. Isthic enim disco, cursu, lucta, & arcu certatur: & chorea in nuptialibus solennitatibus ducitur. Eadem amœnitas utroque Tiguro & maiore, & minore exeuntibus occurrit. Ante illud enim fossa prælta & benè longa est: in qua cerui pascentes lusitant. In latere autem eius deambulandi locus est amœnissimus: siue arbores in eo uarias, siue è regione uineta, & syluosos spectes colles. Ante hoc autem fossa non feris cicuratis, sed aquis, & piscibus plena, ac itidẽ locus ad deambulandũ & pascendum oculos idoneus est. Isthic enim carpiones & alios pisces lusitanteis: ex opposito prata uirentia, ac in suprema parte lacum Tigurinum uideas. Ad hæc aliæ duæ tiliæ extra idem oppidum in iaculatoria Bombardariorum area consitæ, miráq; arte inflexæ, ac instructæ sunt: ut in æstate aliquot in mensis super

eas discumbere, & adeò tutè conuiuari liceat, ut flexuosi rami in cacumine colligati uel Sirij æstum arcere queant. Postremò ne quis rem solis coniecturalibus argumentis agi putet: age Chronicorum Tigurinæ urbis testimonia adducamus. Ludouicus itaq; cognomine Pius in dotatione cœnobij Abbatissani in minore Tiguro, Thuregum Curtem (sic enim scribæ tunc temporis corruptè cortem, uillam seu castellum, ut ex alijs similibus diplomatis apparet, uocabant) suam, & pagum Zurichum unà cum omnibus adiacentibus, & adillum pertinentibus in ducatu Allemannico situm, uocat. Quod factum est à Christi natiuitate circiter annum 800. & 14. Rursus in alio instrumento confirmationis donatiui, monasterium Abbatissanum dicitur à Carolo in pago Zurichgauense constructum: quod datũ est 4. Calendas Martias, Anno incarnationis Dominicæ D CCCLXXXIII. indictione prima: anno autem imperij piissimi imperatoris Caroli tertio. Actũ uerò hoc est ad Vlmam Curtem imperialem in Dei nomine feliciter, Amen. Porrò Carolum illum cognomento Crassum dictum fuisse ex temporum supputatione colligere licet. Is nanq; anno Domini D CCCLXXVII. regnare cœpit. Et quanquàm hæc testimonia apud pium, æquum, & candidum lectorẽ satis roboris habitura non diffidam, ut credat pagum Tigurinum ibi olim fuisse, ubi nunc Zurichina urbs, & ditio est: tamen maioris firmamenti, ac euidentiæ causa non pigebit nos plura addere.

DE FVNDATIONE VRbis Tigurinæ.

PLAERI-

PLAERIQVE Tigurinorum omnes annales (qui etiam fide digni apud eos habentur) perhibent Iulij Cæsaris temporibus, prisca Chronica à quodam equite aurato reperta esse: in quibus urbis Thuregij uetustas, & prima fundatio contineretur: uidelicet quòd eius fundamenta Abrahæ seculo iacta sint, trigesimo anno postquàm à Trebeto Treuirorum mœnia fundari cœpta sint. Tunc inquam minoris Tiguri fundamenta iacta eo loci, ubi nunc S. Petri parochia est usq; ad Limagum, quo etiamnum pertingit: uocatumq; esse Thuricũ à Thurico fundatore, qui rex Arelatensis erat. Maioris autem Tiguri primordia cœpisse Sangaro Israhelitarum Iudice, ante CHRISTVM natum 1374. anno: eaq; fundamenta per Sueuicum quendam regem nomine Sueuũ iacta esse. Quorum regum uterq; limites suos ad fluuium Aha (sic enim Limagus ex Lint, & Aha compositum nomen, ex lacu inter utrunq; oppidum profluens uocatur) posuisse fertur: atq; dein inter utrunq; conuenisse, ut ex duabus una fieret ciuitas, ideoq; Duregum, quasi ciuitas duorum regum nuncuparetur. Alij ferunt urbis Tigurinæ fundationem sub Iulio Cæsare Dictatore factam: quod tamen uerisimile non uidetur. Nisi fortè eam maioris Tiguri partem aliquis à Cæsare adiectam esse putet: quæ iã noua ciuitas appellatur.

DE PRISCA TIGVRINAE Vrbis Republica & Magistratu.

QVO-

QVONAM primitus usi sint magistratu, nescitur. Vbi uerò Romani fermè omnibus nationibus imperitabant, iudicem, siue præfectum Detium eo loci in castro quodam constituerunt: ubi nunc area illa amœnissima in minore Tiguro uisitur. Qui sanè sub Diocletiano, & Maximiano Felicem, Regulam, ac Exuperantium ob Christianam religionem capitis affecit supplicio. Quod factum est post Christi natiuitatem intra ducentesimum, octogesimum quintum, & trecentesimum annum. Romani ita q; undecim annis post Christum natum urbi Tigurinæ per præfectum dominati sunt: ac dein eandem ob egregia sua facta libertate donauerunt, imperiiq; sociã fecerunt, ita ut posthac ciues Tigurini aliquem ex sese eligerent procuratorem, qui rerum capitalium causis præesset. Vnde etiammum imperio præfecti & nomen, & dignitas apud eos manet. Reliquis reipub. muneribus XII. uiri præerant: quorum alteri sex ex ordine equestri, alteri ex nobili, & antiqua familia creabantur. Quorum posteri quum non in commune reipub. sed quisq; sibi priuatim consuleret: non sine magno & urbis, & suo detrimento, partibus, & factionibus studere cœperunt. In qua discordia præ grandes, ac munitæ illæ turres hinc inde per urbem structæ feruntur. Quanquàm alij putent eas ante urbem conditam esse structas, quum uidelicet hic locus paulatim inhabitari cœpisset. Sunt & alij, qui existimant illas à negociatoribus esse structas, quando Itali merces suas per lacum Tigurinum huc portabant. Porrò quum XII. illi uiri optimates nullum finem tyrannidis & fastus sui facerent, tota ciuitatis multitudo contra eos conspirauit: eosq;

rationem

rationem facti, & infecti, accepti, ac expensi reddere compulerũt. Quod quia illi (ut bonos uiros decebat) facere nequibant: unusquisq; pro delicti modo in exilium relegatus est. Nec inde (propter insidias, quas urbi cædibus, rapinis, & latrocinijs struxerant) unquàm in urbem recepti sunt. Quo factum est, ut tota reipub. facies immutata sit. Quia enim ἀεισοκρατία ciuibus Tigurinis male cesserat, eam in ὀλιγοκρατίαν commutare placuit: quæ & hac nostra tempestate conseruatur. Totam nanq; ciuitatem in duodecim curias, seu tribus distinguebant, ac in communi sympositum, siue sodalitatem, quod constabulum uocant: ita ut singulæ Tribus binos Tribunos plebis, unũ senatorẽ, & duodenos in maiorem senatum eligerent. Reliqui uerò ex constabulo, & libera electione crearentur: ut in maiori senatu ducenti essent, qui numerus diacosiorum adhuc manet. Atque hæc reipub. mutatio facta est post CHRISTI Natalem, Anno 1336.

QVIBVS DE CAVSIS TIgurini se Heluetico fœderi iunxerint.

TIGVRINI etiam non nisi certis, & maximis de causis Helueticæ ciuitati adiuncti sunt. Quum enim Rodulphum Comitem ab Habspurg ob insidias planè latrónicas in uinculis aliquot annos haberent: tota Alsatiæ nobilitas unà cum Basilienſibus, Argentoratensibus, Friburgensibus Brisgoicis, Brisacensibus, Selestadiensibus, & Colmariensibus fautoribus, & auxiliaribus

bus copijs bellum eis indixit, multisq; incommodis affecit. Quod ubi Tigurinus pagus Carolo eius nominis quarto sæpenumero essent conquesti, eiusq; opem frustrà implorassent: sibi alijs modis consulere necessariò coacti sunt. Cum enim uiderent urbem suam titulotenus Romani imperij sociam esse, nec quicquàm auxilij ab imperatore sperandũ, alios sibi, & magis fidos socios Vrienses, Suiteros, Subsyluanos, ac Lucernanos, quærere uisum est. Qui (quoniam ipsis quoq; multum negocij præter meritum nobilitas facessebat, & Austriæ duci inprimis parum grati erant) gratanter eos in suum gregem receperunt: ac Heluetico fœderi ita inaugurauerunt, ut Tigurinus pagus inter alios omnes primus esset & adhuc sit. Quod factum est post Domini incarnationem Anno 1351. Hactenus de primordijs, ac Reipub. statu in urbe. Consequens nunc est, ut & de præfecturis in agro Tigurino, & extra, item de terræ ambitu oppidorum, ac hominum frequentia dicam. Præter aliquot reipub. uicanæ administrationes, quorum administratores in urbe nihilominus residunt, circiter septem in agro Præsides habent: utpote Chyburgensem, Gruningensem (sub quo & dulcissima patria mea Rhellica uilla ad caput Gryphilacus continetur, mille passus Germanicos ab urbe distans) Gryphilacensem, Aeglisouiensem, Andelfingensem, Regispergensem, & Chnonouiensem. Communes cum alijs Heluetijs præfecturas has continent Tigurini, Thurgæanam, Badensem, Rheniuallensem, & Liberam prouinciã. Quæ sanè nobis cis alpeis sitæ sunt. Trans alpeis uerò in Gallia Togata simul cũ alijs fœderatis per uices præsidem mittunt Luganensibus, seu Lucigaumensibus

sibus, Locarnensibus, Madiuallensibus, ac Mendrisinis quibus (dum hæc scriberem) D. Ioannes Aescherus à Tigurinis præfectus erat. Terra, ac ditio eorundem æquè lata propemodum ac longa est. Secundum longitudinis nanque & latitudinis dimensionem, plus minus quinq; Heluetica, hoc est bene longa milliaria patet: & in orbem ita posita est, ut si quando exercitus conscribendus sit, uno die omnes conscripti milites in metropolim conuenire queant, quod Tigurum est. Præter quod duo municipia Vitudurum, Steiniam trans Rhenum, ac quinq; oppida minora Eglisouiam, Bulachium, Regispergam, Gryphilacum, ac Gruningam complectitur. Porrò in militum delectu habēdo cum decem hominū millibus suis finibus exire possunt: & nihilominus domi iustam militum manum relinquere, quæ hostium irruptionem ac uim ab ijsdem finibus propulsare par sit. Atq; hæc amplitudo Tigurini agri hodie est. Cæterum urbem, ac eius ditionem olim ampliorem fuisse partim inditijs minimè uulgaribus, partim literis demonstrari potest liquidò. Illius nanq; pomeria latiora fuisse, mœniorum ruinæ, quæ ab inferiori urbis parte usq; ad castellum quoddam Limago conterminum (quod circiter duos bombardici lapidis iactus, ab eâdem nunc distat) & fossæ oppidanæ uestigia arguunt. Quanta uerò huius latitudo fuerit, tabulæ Germanicæ cœnobij Abbatissani in minore Tiguro in hæc declarant uerba: si quis forsan fidē meā in interpretando requirat.

DIS

DIS IST EIN COPI, VVIE VERR die muntz Vnsers Gotzhus zum Frouuen= munster gan sol.

ES ist zeuuissen, das unser muntz zu Zurich gan sol in allem Zurichgeuu uff, durch Glarus, fur VValliſtat uff, untz an den grunen hag. Auch sol sy gan durch all uualdstet uff, untz an den Gothart. Aber durch als Aergeuu, untz an die uuaggenden studen. Aber nidsich ab, untz an den Hauuenstein, und durch als Thurgeuu untz an die Murggen, da zuuischen sol kein eigen muntz sin dan allein Zofingen in der ringmur, und auch nit furbas.

Quod Latinè ita reddidi:

IN HOC EXEMPLARI CONtinetur, quousq; monasterij nostri Abbatissani moneta accipienda sit.

NOTVM sit monetam nostram Thuregianam in toto agro Zurichgauensi, per Glaronam, ultra Vualstadium, usq; ad sepem uirescentem accipi debere. Adhæc per omneis sylueſtreis uicos, usq; ad Gothardi montem. Per totam quoq; Argaudiam, usq; ad uirgultum nutans. Deorsum deim usq; ad excisam Iurassi rupem. Per totam demq; Thurgaudiam, usq; ad Murgam fluuium: interea loci nulla propria moneta esto, nisi intra Zofingæ mœnia, nec etiã ultra. Hactenus Tabulæ. Vnde (ut hoc ceu auctarij loco subdamus) certius iam constare potest id, quod suprà adstruximus, Tigurinum pagum in Zyrichino tractu iam olim fuisse: præsertim quum tam augusta eius ditio, etiam deletis prisc is illis Heluetijs Gallis, sub Francorum regibus

bus fuerit. Néq; uero huic sententiæ nostræ quicquàm obstat, quod incõparabilis uir D. Beatus Rhenanus Thuregum à Thuro fluuio denominatum, ac ex diplomate basilicæ Tigurinæ probat; idem à rege Ludouico orientalis Frantiæ, pago Durgauensi ascriptum. Non enim negauerim fieri potuisse, ut Allemanni maiores nostri pagum Tigurinum à Dura fluuio (penes quem consederũt) Durich aut Durdorff, quasi Tigurich, aut Tigurdorff appellauerint: & posteri ex simpla litera D, duplam Z fecerint, hoc est pro Durich, Zurich pronunciauerint. Interim tamen ratio mea sibi adhuc pulchre constat, quod Tigurinus pagus ibi olim fuerit ubi nunc Zyrichina regio est. Ex superioribus namq; Ludouici Pij, & Caroli Crassi instrumentis (quorum alterum antiquissimum, alterum recentissimum) ac ex eo quod Rhenanus (uti ego manuq; scriptum uidi) adducit, apparet: Tigurinum pagum ab Allemannis nunc pagum Zyrichgauiũ, nunc Durgauium appellatum. Idq; ex eo nimirum prouenit, quod Tigurinus pagus sub Francorum regibus, & Abbatissæ monarchia Durgauiam quoq; cõplecteretur. Siquidem modò allegatum diploma Germanicum docet, monetam Duregiensem per totam Durgauiam usq; ad Murgam fluuiolum acceptam: qui Frouuenfeldiam præterlabens Duram illabitur. Huc accedit quod in alio eiusdem monasterij Abbatissani diplomate Ludouici regis (qui Caroli nepos ex filio Ludouico fuit) Chama etiam Curtis ipsius in ducatu Allemannico, in pago Durgauensi sita appellatur: id quod factum est anno 26. regni Ludouici serenissimi regis in Frantia orientali, indictione 6. in uilla Francho-

nofurt, in palatio regio. Hactenus diploma. Vnde patet, Duregum tunc temporis Durgauiæ angulum, seu extremitatem non fuisse: sed multo longius protentam, nimirũ usq; ad Argauiam. Etenim illud plusquàm ad duos lapides à Chama distat; qui haud in elegans, nec ignobilis etiamnum uicus trans Tuginum lacum è regione Tugiũ (qui iam unus ex 13. Heluetiorum pagis recensetur) situs est. Tantũ de coronide ista. Porrò ne quis miretur, quo pacto limites agri Tigurini antiquitus usq; ad S. Gothardi montẽ pertigerint, & cur Abbatissa monetam Duregiensem suam uocet: sciat Vriensium uicum primarium nomine Altorff, monasterio Abbatissano mancipatum fuisse, & intra plus minus ducẽtos annos magnis impensis munumssum. Deinde quod Abbatissa numisma sui imaginẽ gestans percusserit: unde & ex rei argumento Angster κατὰ συγκοπήν, quasi Anglister uocatur. Germani enim faciem antlit, seu anglit uocitant. Quo fit, ut etiamnũ nummulus duobus obolis ualens, ubiq; fermè in Heluetijs Angster uocetur: quem alij Teutones pfennig muncupant. Atq; ita sanè cum Tiguri, tum Bernæ, adde etiam Salodorum, dicitur: etiamsi illud monarchia Abbatissana abrogata, non amplius Abbatissæ faciem, sed urbis scutum numis suis imprimat: & hæc nullos prorsus cudant, sed duos obolos Angsterum nominent. Non tamen ignoro esse quosdã non à facie, sed ab Augusta Rauracorũ appellari: eo quod Heluetiorum uulgus Augster pronuntient, non Angster. At illorum ratio duplici argumento dilui potest. Vno, quod illud plæraq; alia uitiose enuntiet: ideoq; illius enuntiationem non esse oraculum Delphicum. Altero quod Al

lemanni

lemanni, qui numero Augustæ Rauracorum, ac in eius circuitu habitant, numum non Angsterum, sed Rabbium. seu Coruum uocitant. Vnde nec uero simile est numum nostratem ab Augusta potius, q̃ facie Abbatissana nomen sortitum propter rusticanam quorundam pronuntiationem. Nam urbani non Augster, sed Angster & pronuntiant, & scribunt. E contra etymologia nostra non uulgi nostratis pronuntiatione, sed cum ueterum, tum recentiorum (qui monetam cudunt) ratione fulta est. Siquidem Athenienses à noctuæ & bouis simulacro, & Romani à bigis sua numismata noctuas, boues, & bigatos. Bernates ab ursi, Friburgenses Brisgoici à corui symbolo numos suos ursos, & coruos dictitant. Quos deinde nõ solum alij Helueti, uerum etiam exteræ nationes imitatæ, in eiusdẽ ualoris numismate percutiendo bætios, seu corrupte Batzios, & Coruos nuncupant: tametsi haud pari signo signata sint numismata. Qui sanè mos, & hæc nostra declaratiuncula (nisi φιλαυτία amabilis insaniam totũ dementauit) superiores tabulas magis & ratas, & dilucidas fecerint. Sed tẽpus iam est, ut à digressione longiuscula ad institutum nostrum redeamus. Tantum de externa rep. & iurisdictione: par est iam ut & de interna, seu ecclesiastica aliquid dicamus.

DE DVOBVS MONASTERIIS Tigurinæ Vrbis.

DE ætate, ac fundatione Abbatiæ, seu minoris monasterij in minore Tiguro præter tabulas duorũ

principum ex regia prosapia ortorum nihil fide dignum habetur, quæ sic habent:

Ego Vuighardus, & frater meus Rupertus omnia bona, quæ nobis paterna hæreditate obuenerãt, reliquimus. Frater autem meus suam partem istis conditionibus regi tradidit ut in arce Turicino (ita enim minus Tigurum, quod ante maius structũ est, tunc temporis uocabatur) tẽplum ædificaret: atq; in eo pietatis officia in perpetuum institueret. Quum uero Carolus Magnus post Christum natum 801. Imperator Romanorum electus, & à papa Leone tertio coronatus, ac confirmatus esset, quodam tempore Tigurum uenit: ubi in maiori monasterio septemdecim presbyteros reperit, quos hac lege confirmauit, ut ex decimis quidem, ac uillis parochiæ annexis, uictitarent: atq; uicissim ut non tantum ipsi, uerumetiam eorũ posteri Deo seruirent, omnibusq; ad parochiam istam pertinentibus siue in montibus, siue uallibus habitãtibus religionis Christianæ officia (sicuti moris est) perpetuo præstarẽt. Actum Thuregi, 9 anno Cæsareatus Caroli: Anno autem Domini 811.

DE MAIORI MONASTERIO, ET Canonicorum collegio seorsim cum copiosius, tum clarius.

IN uetustis maioris monasterij literis antiquius nihil inuenitur, quàm quod ante collegij institutionem ac instaurationem à Carolo factam, ibidem ingens parochia fuerit: cuius ministri ex decimis uixerint. Posteaquã enim

enim Carolus eò peruenit, XVII. presbyteros inibi reperit: inter quos senior Leidrachus, & secundus ab eo, Decanus uocabatur. Idem deinceps Carolus Theodori episcopi Constantiensis opera, præposituram isthic instituit, & uiginti quatur uiros ordinauit, qui in posterum sub canonicorum regula uiuerent: populisq; in montibus, & ualibus habitantibus, ibidem Catholicæ fidei, ac Christianitatis ministerium omni tempore quærere, ac habere iussit: atq; Deo, sanctisq; martiribus Felici ac Regulæ seruiendo permanere. Quam ob causam multis reditibus collegiũ donabat: qui in eiusdem collegij instrumentis annotati sunt. Adhæc eiusmodi ordinem inter 24 illos uiros instituebat, ut octo seniores, octo diaconi, & octo subdiaconi, essent, quiq; ad pietatis munia obeunda educarẽt. Atq; hi omnes literis, orationi, laudibus diuinis, & gratiarum actionibus intenti erant: aliosq; docebant, & Christum prædicabant. Idq; uel hinc probari potest, quod Bertoldi Ducis à Zeringen (qui se imperialis arcis apud Tigurinos comitem profitebatur) temporibus, omnes Canonici ad prædicandum Dei uerbũ obstricti erant. Quandoquidem ciues Tigurini eidem supplicauerunt aliquando, ut Canonicis ediceret, quo unus ex eis parochum ageret. Quod & impetrauerũt. In huius nanq; rei testimonium prædicti Ducis Bertoldi instrumentum etiamnum in Canonicorũ collegio extat. Præterea dum prima sæpe iam dicti maioris monasterij fundamenta iacerentur, Carolus Magnus sua manu primum saxum in fundamẽto posuisse fertur. Quod si ita est, ab anno 1539 nunc currente, anni septingenti, uiginti septem à iactis monasterij istius fundamentis elapsi

sunt. Hæc de prisco ecclesiæ Tigurinæ ritu, & statu non equidem contemnendo. Verumenimuero sicuti à prauissima nostra natura cõparatum est, ut bona instituta in mala conuertamus: ita & in hoc factum est. Posteriores nanq; Canonici nomine, & re ipsa irregulares, Canoni suo pristino uale dicentes: nouũ socordiæ, ac luxui suo magis idoneum commenti sunt. Nam pro literarũ studio, puris precibus, & cõcionibus ad populum habendis, in templo psalmos demurmurare, missare & boare cœperunt, & postea aleæ, uenationi, aucupio, comessationibus, ac scortis diditi fuerunt. Quæ intemperies, ac pestis quum non tantum hic uerumetiam alibi aliquot centum annos in Christi ecclesia grassata esset: Dominus Deus tandem ob electos suos, uices nostras miseratus, uerum ecclesiæ ministerium infucati locum restituit. Quod hic sanè anno à Christo nato 1519. restaurari cœptum est. Huldrichus nanq; Zuinglius nunquam moriturum gentis suæ decus, primus huius urbis in restauratione Euangelij antistes, & totius Heluetiæ ciuitatis propheta à Domino Deo missus, Euangelium Matthæi eodem anno ordine, & non truncatim (ut ante hac mos fuit) pro suggesto enarrare cœpit. Quo circiter quadriennium fideliter, ac Christianè enarrato factum est tandem, ut senatus, populiq; Tigurini decreto, Dei, & Diuorum statuæ, ac imagines unà cum missa, papisticis abominationibus, ac cerimonijs omnibus è medio sublatæ sint: & literarum studia, contiones, cænæ Dominicæ usus germanus, & apostolicus, in earũ locum successerint. Quæ omnia eo prorsus modo se habent, quo Zuinglius instituit: ac in epistola quadam adnotationibus

In Geneſim præfixa deſcripſit: alijſq; æditis libris, eccleſiæ huius cõditio, ritus, ac ceremoniæ depinguntur. Niſi quod interim pluribus ſacerdotibus, & monachis uita functis, pleures etiam pueri, & adoleſcentes in literarum ſtudio foueuentur. Nam quum & eccleſiæ, & reip. præſides conſiderarent, ſibi præter diaconos plus quàm centum parochis opus eſſe in ſua ditione: (ueluti circumſpectos, & Chriſtianos patriæ parentes decet) curant ut iuuenes ſenioribus, & uiui in bonis literis, ac pietate exercitati mortuis, in Euangelij miniſterio ſubrogari queant. In quẽ uſum præterito anno 1538. præter multos ſtipendiarios collegij maioris in minore quoq; monaſterio, & nobiliũ quondã Nonnarum collegio circiter octodecim alere cœperunt. Quibus me pædagogum præfecerunt, ut & bonas literas, & pietatem eos pro uirili mea doceam, ac magna uigilantia obſeruem. Reliqua uero cœnobia, ut Dominicanorum, Franciſcanorum, & Auguſtinenſium in ptochodochia, infirmorum, & aliorum pauperũ uſus conuerſa ſunt. Neq; uero eſt, quod inter res eccleſiaſticas, eccleſiæ præſides hic multis cõmemorem, quando plærique omnes orbi notiores ſint, quam ut eorũ eruditio, ac dexteritas à me prædicetur. Quis enim quæſo eruditorum eſt in toto Chriſtianorũ orbe, qui tres Tigurinæ eccleſiæ parochos D. Heinrichũ Bullingerum (qui Zuinglianæ curæ ſucceſſit) Leonem, & Megandrum Dominos, ac patronos meos ex omnigenis ſcriptis ſuis ignoret? Cuinam uenerandus ille pater, Conradus Pellicanus, ac Theodorus Bibliander præceptores mei in literis arcanis obſeruãdi, lucubrationibus ſuis in lucem editis ignoti fuerint? nemini. Proinde quemad

sunt. Hæc de prisco ecclesiæ Tigurinæ ritu, & statu non equidem contemnendo. Verumenimuero sicuti à prauissima nostra natura cõparatum est, ut bona instituta in mala conuertamus: ita & in hoc factum est. Posteriores nanq; Canonici nomine, & re ipsa irregulares, Canoni suo pristino uale dicentes: nouũ socordiæ, ac luxui suo magis idoneum commenti sunt. Nam pro literarũ studio, puris precibus, & cõcionibus ad populum habendis, in templo psalmos demurmurare, missare & boare cœperunt, & posteà aleæ, uenationi, aucupio, comessationibus, ac scortis diditi fuerunt. Quæ intemperies, ac pestis quum non tantum hic uerumetiam alibi aliquot centum annos in Christi ecclesia grassata esset: Dominus Deus tandem ob electos suos, uices nostras miseratus, uerum ecclesiæ ministerium infucati locum restituit. Quod hic sanè anno à Christo nato 1519. restaurari cœptum est. Huldrichus nanq; Zuinglius nunquam moriturum gentis suæ decus, primus huius urbis in restauratione Euangelij antistes, & totius Heluetiæ ciuitatis propheta à Domino Deo missus, Euangelium Matthæi eodem anno ordine, & non truncatim (ut ante hac mos fuit) pro suggesto enarrare cœpit. Quo circiter quadriennium fideliter, ac Christianè enarrato factum est tandem, ut senatus, populiq; Tigurini decreto, Dei, & Diuorum statuæ, ac imagines unà cum missa, papisticis abominationibus, ac cerimonijs omnibus è medio sublatæ sint: & literarum studia, contiones, cænæ Dominicæ usus germanus, & apostolicus, in earũ locum successerint. Quæ omnia eo prorsus modo se habent, quo Zuinglius instituit: ac in epistola quadam adnotationibus

In Geneſim præfixa deſcripſit: alijśq; æditis libris, eccleſiæ huius cõditio, ritus, ac ceremoniæ depinguntur. Niſi quod interim pluribus ſacerdotibus, & monachis uita functis, plures etiam pueri, & adoleſcentes in literarum ſtudio foueuentur. Nam quum & eccleſiæ, & reip. præſides conſiderarent, ſibi præter diaconos plus quàm centum parochis opus eſſe in ſua ditione: (ueluti circumſpectos, & Chriſtianos patriæ parentes decet) curant ut iuuenes ſenioribus, & uiui in bonis literis, ac pietate exercitati mortuis, in Euangelij miniſterio ſubrogari queant. In quẽ uſum præterito anno 1538. præter multos ſtipendiarios collegij maioris in minore quoq; monaſterio, & nobiliũ quondã Nonnarum collegio circiter octodecim alere cœperunt. Quibus me pædagogum præfecerunt, ut & bonas literas, & pietatem eos pro uirili mea doceam, ac magna uigilantia obſeruem. Reliqua uero cœnobia, ut Dominicanorum, Franciſcanorum, & Auguſtinenſium in ptochodochia, infirmorum, & aliorum pauperũ uſus conuerſa ſunt. Neq; uero eſt, quod inter res eccleſiaſticas, eccleſiæ præſides hic multis cõmemorem, quando plærique omnes orbi notiores ſint, quam ut eorũ eruditio, ac dexteritas à me prædicetur. Quis enim quæſo eruditorum eſt in toto Chriſtianorũ orbe, qui tres Tigurinæ eccleſiæ parochos D. Heinrichũ Bullingerum (qui Zuinglianæ curæ ſucceſſit) Leonem, & Megandrum Dominos, ac patronos meos ex omnigenis ſcriptis ſuis ignoret? Cuinam uenerandus ille pater, Conradus Pellicanus, ac Theodorus Bibliander præceptores mei in literis arcanis obſeruãdi, lucubrationibus ſuis in lucem editis ignoti fuerint? nemini. Proinde quemad

tiæ ciuitatis id uocat, quod paulò ante pagũ Tigurinum appellauerat. Vnde colligimus Heluetiorum pagos reliquos partes, quàm Canthones uocari. Alterum, partis orationis enallagen in uoce princeps, esse: q.d. præcipuæ pœnas persoluit, uel (ut uulgo loquuntur) principaliter. Quod eius soceri L. Pisonis auum, L. Pisonem legatum.) Suetonius in Iulio tradit, L. Pisonis (qui ei in consulatu successurus erat) filiam à Cæsare sub idem tempus in uxorem ductam esse, & Iuliam Cn. Pompeio collocatam: repudiato priore sponso Seruilio Cepione, cuius uel præcipua opera paulò antè Bibulum impugnauerat. Cæterum imperatoris, aut ducis alicuius legatus is apud priscos Romanos erat, qui Ammiani Marcellini temporibus Comes dicebatur: & nostra ætate ab Italis, Gallis, & Germanis locũ tenens, lieutenier, & corruptè lutiner uocatur. Plærasq; enim militaria nomina apud nos Italica, & Gallica sunt, ut est lerman, quasi larma, hoc est classicum, seu ad arma: & furier corrupte pro currier, aut Curier à currendo haud dubie, seu curando: quod scilicet is, qui isthoc officio fungitur, exercitum præcurrat, & singulis legionibus, ac cohortibus de hospitio, & uictu prospiciat. Quod Heduos, quod Ambarros, quod Allobroges uexa.) De his paulo superius egit Cæsar, & nos inibi ea, quæ potuimus super ijsdem annotauimus. Consuesse enim Deos immortales.) Sic & Homericus Agamemnon ἰλιάδ. δ. Menelaum fratrem suum à Pandaro contra fœdus iaculo ictum consolatur, dicens:

ἀπὸ γὰρ τι καὶ ἀντίκ' ὀλυμπιος ἐυκὶ τίλιαται,
ἔκτι καὶ ὄψι τιλεῖ: σύν τι μεγάλῳ ἀπίτισαν

Τὸν

Σὺν σφῶσιν κεφαλῇσι, γυναιξίτε, καὶ τεκέεσσιν

Quos uersus nos utcumq; ita Latinos fecimus:

Longanimis quamuis sit Iupiter, attamen istos
Postea multabit magno cum fœnore Troas:
Vt simul & uetuli, iuuenes periuria soluant.

In quam sententiam & Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. scribit, quando ait: Dionysium patrem truculentissimum Syracusanorum tyrannum sacrilegij sui pœnas demum in filio suo dedisse: propterea quod is regno exactus, Corinthi præ egestate ludum aperire coactus sit. Lento enim inquit, gradu ad uindictam sui diuina procedit ira: tarditatemq; supplitij grauitate compensat. Alieno loco.) Id est, iniquo. Quo prælio sublati.) hoc est, elati, ac insolentiores facti sunt Heluetij.

Cæsar Heduos frumentum flagitare.) scilicet, cœpit, ut Priscianus exponit: uel flagitare pro flagitabat. Id quod Latini historici à Græcis mutuati sunt. Sicuti & illam superiorem flagitare Heduos frumentum, pro ab Heduis. Græci nanq; dicunt, αἰτοῦμαί σε βιβλίον, id est, postulo te librum pro abs te.

In his Diuitiaco, & Lisco, qui summo magistratui præerãt.) Diuitiaco: & Lisco suple cõuocatis. Porrò alterum de summo Heduorũ magistratu, quem Vergobretum uocabant, ipse Cæsar infra lib. 7. de bello Gallico hæc addit: primum quod duos ex una familia creare non liceret. Deinde quod ijsdem magistratibus, Heduorum finibus exire fas non esset. Gallorum quàm Romanorum imperia præferre. Quædam exemplaria perferre legunt, quæ si sequaris, se malle, subaudiendum est.

Sin

Sin uero præferre legas, ſenſus eſt, factioſos illos Heduos Gallorũ imperia Ro. imperijs anteferre: hoc eſt malle illis quàm his parere. Heduis libertatem ſint erepturi.) Quæ *Heduorum libertas, ac prærogatiua præ alijs Gallis fuerit, cum ex ſequentibus huius libri dictis (ubi Cæſar in Oratione ad Arioui ſtũ, eos à ſenatu Romano fratres, & conſanguineos appellatos dicit) tum ex undecimo hiſtoriarum libro Cornelij Taciti patet, ubi ſic ait: Primi Hedui ſenatorũ in urbe ius adepti ſunt, datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum, fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant.* Quibus *M. Cicero lib. 1. ad Atticũ in epiſtola, quæ incipit, Non modo, &c. hiſce uerbis aſſentitur: Nam Hedui fratres noſtri pugnant. Cupidũ nouarum rerum, &c.) Hic locus planè Rhetoricus eſt. Quemadmodum enim rhetores docent inuentionem ad coniecturalem cõſtitutionem accõmodare, ut primum anteacta hominis uita cõſideretur, deinde ſpes commodorũ, poſsibilitas aut impoſsibilitas: ita Cæſar hoc loco rem conſiderat, quum Dumnorix regni affectati, ac proditionis reus deſcribitur. De quo uide 2. lib. Ci. ad Herennium ſatim ab initio. Largiter, id eſt, multum poſſe. Quiq; in exercitu L. Syllæ, & poſtea.) De his omnibus uideto Appianum lib. 1. bellorum ciuilium, & in Parthico. Deniq; Plutarchum in Sylla, & Craſſo. Conſidius equo admiſſo. i. concitato. Quod à Bibracte oppido Heduorum.) Volaterranus li. 3. Geographiæ ait, Bibracte oppidũ prope ciuitatem Heduẽſem ad exiguum uicum redactũ eſſe.*

Ea res per fugitiuos L. Aemylij decurio.) Decuria (Aulo Gellio lib. 18. ca. 7. atteſtante) tria denotat locum, ius,

ius, & homines. Vnde Decurio denominatiuum deriuatur. De quo Vegetius lib. 2. de re militari, cap. 14. sic scribit. Quemadmodum, inquit, centuria, & manipulus peditum uocatur: ita inter equites turma. Et habet una turma equites 32, & qui huic præest decurio appellatur.

Phalange facta.) Q. Curtius lib. 3. de Alexandri Magni gestis, phalangem, inquit, Macedones uocant peditum stabile agmen: ita ut uir uiro, & armis arma conserta sint. Vegetius uero lib. 2. de re militari cap. 2. non tantum Macedones, uerumetiam Græcos, & Dardanos phalangibus usos esse testatur: & in una phalange octo armatorum milia censa esse. Quo autem pacto Germanorum istorum phalanx instituta fuerit ex 6 Orosij libro patet, ubi in hæc uerba scribit: Pugna maxime grauis ex phalange Germanorum fuit, quam coacto in unum agmine, scutisq; supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorũ aciem tutũ undiq; præstruxerant. Sed postquam aliqui Ro. militum agilitate, audatiaq; insignes supra obductam salîere testudinem, scutisq; singillatim, uelut squamis reuulsis desuper nudos deprehensorũ, detectorumq; humeros perfoderunt, territi hostes nouo mortis periculo, terribilem dissoluêre compagem. Scutis uno ictu pilorum transfixis, &c.) Idem Vegetius eodem in lib. ca. 15. Bina, inquit, sunt missilia, unum maius ferro triangulo, untiarum nouem, hasti li pedum quinq;, & semis: quod pilum uocabant, nunc spiculum dicitur. Prima, ac secunda acies.) Supra memi nit Cæsar se triplicem aciem in colle instruxisse. Quod pro uallo carros, id est carris, ac rotis ualli uice utterẽtur: Germanice sy machtend ein Vuagenburg. Cum ab hora

septima

septima diei.) Sabellicus à tertia diei hora legit. Quam lectionem si sequimur, apparet pugnam istam nouem solidas horas durasse. Nam Cæsar ipse subiũgit in multã usq; noctem ad impedimenta pugnatum esse. Etenim solaria apud antiquos (testãte Cœlio Lect. an. li. 7. ca. 9. (in horas tam diei, quam noctis temporales, seu naturales, non æquinoctiales, seu horologicas diuisa erant: ita ut singuli dies, noctesq; horis continerentur duodecim. Mazaras, ac tragulas subijciebant.) Quid Mazara sit me ignorare fateor, quia nusquam apud ullum Grammaticum ea uox explicatur, nec apud Vegetium, aut alios bellicæ rei descriptores inuenitur. Nisi fortè pro mazaras materes, seu materas legendum est. Siquidẽ materis authore Sisenna longius telum est quam lancea. Gallia (inquit) materibus, sæui lanceis configunt. Idem alij materibus, aut lanceis mediam perturbant aciem. Hæc ille. Vnde, ac ex rei circumstantijs, genus teli fuisse apparet. Statim enim subiungit Cæsar tragulas. Quæ uox Festo expositore teli genus est, sic dicta, quod scuto infixa trahatur. Nonius autem Marcellus tragulam hastam esse dicit, ac suam sententiã Sallustij authoritate fulcit: qui in historiarum lib. 3. sic ait. Auuidissimis, atq; promptis ducibus, ut Metellus ictu tragulæ sauciaretur. Postremo & Varronis testimonio in Meleagris comprobat, ubi sic inquit: Aut ille ceruũ, qui uolabile currens, sparo secutus, tragulaue traijcit. Hæc illi. Vnde nimirum paroemia nata est, tragulam inijcere, pro eo quod est dolum struere, ein lotterfallen machen.

Ex eo prælio circiter hominum millia centum triginta superfuerunt.) Eutropius lib 6. tradit Heluetijs, ac eo-

vum ſocijs cẽtum 47 millia in prælio iſto interempta eſſe. Strabo autem circiter quadringenta millia interijſſe, & octo millia hominum euaſiſſe. Plutarchus uero centũ hominum millia prælio ſuperfuiſſe ait: quos Cæſar deſertis ipſorum ſedibus reſtituerit. In fines Lingonũ die quarto peruenerunt.) Strabo lib. 4. ſupra Heluetios, inquit, & Sequanos, Hedui, & Lingones in occaſum uergentes habitant. Marlianus ait, Lingones inter Celtas populi finitimi ſunt Heduis, Sequanis, ac Tullẽſibus, qui dicebãtur Leuci. Nomen adhuc retinent, ciuitas eſt epiſcopalis in prouintia Lugdunenſi, & Francorum regno ſita, & Langies nunc ab indigenis uocatur. Cuius ſententiæ Iucundus accedit, niſi quod Langres mendoſe dubio procul pro Langies ſcriptum eſt in eius elencho. Volaterranus lib. 3. Geographiæ Langones antiquitus uocatos eſſe affirmat, unica litera immutata: ac eorundem oppidum Aduantinum eſſe. Quos omnes à uero non aberrare, tertia Europæ pictura apud Ptolomeum comprobat. Qui Verbigenus appellatur.) Ex ſuperiori Cæſaris deſcriptione ſatis cõſtat, quatuor priſcæ Heluetiæ ciuitatis pagos fuiſſe, quorum duos tantum ipſe per occaſionem recenſet, Tigurinum, ac Verbigenum, ſiue Vrbigenum, ut quædam exemplaria legunt. De prioris tractu quid ſentiamus ad longũ diximus: par eſt ut & de poſteriore quippiam dicamus. Tſchudus proconſul noſter, Verbigenum pagum in Argouiano tractu fuiſſe putat: mirum ni Glareani præceptoris, & affinis ſui ueſtigijs inſiſtens. Is nanq; quartũ Heluetiorum pagum ad Arulam ſitum fuiſſe opinatur. Rhenanus autem lib. 3. rerum Germanicarum de eo ſic ſcrip-

tum

tum reliquit. Dubium est apud eruditos quisnam iste Verbigenus pagus, aut ubi fuerit. Dicam coniecturam meam. Suspicor scribendum Vrbienus, ad uernaculam fortassis ueterum Heluetiorũ linguam: alioquin mallem Vrbinus. Est autem Vrba antiquissimum oppidum Heluetiorum, in illa, ceu posterior ætas uocare cœpit, cisiurana Burgundia: non minus uetustatis præseferens ruinis ædificiorum, quàm ipsum Aventicum. Agnoscit hodie ciuitatem Bernensem, ac Friburgensem. Inter Lausinum lacum, hoc est Lemanum, & Arioricam Antonino ponitur. Hæc illi. Quæ si diligenti expẽdamus trutina, huius, quã illius sententia uero similior, ac probabilior (cum uenia procõsulis conterranei mei dictum uolo) est. Illius nanq; opinio nulla alia ratione nititur, q̃ quod pagi à fluminibus eos perlabentibus nomina sortiti sint. Nisi forte putet uocabulum Germanicũ Aergouu (quod tamen ab Arula, & terra denominatum est, quasi dicas Arogæa) aliquid cognationis cum Verbigeno habere. At huius sententia duabus haud elumbibus coniecturis fulta est: primum quod uox Vrbigenus cum Vrba (sic enim Antoninus in itinerario suo, & Regino Abbas Prumiensis eam uocãt) magnã affinitatẽ habet. Deinde quod non tantum Rhenanus, uerumetiam Holhardus Vrbæ natus, atq; inibi cõcionatorem sacrum agens retulit, dum Bernæ hosce Cæsaris commentarios publice enarrarem: præter alia antiqua rudera, & numismata, turrim miræ uetustatis isthic esse. Huc etiã facit diploma quoddam epistolare Lotharij gloriossimi regis, in quo Alsatia Elisacẽsis pagus appellatur. Illud nanq; Vrbæ in uilla regia factũ esse scribitur 11. Cal. Februarias

Anno

Anno Christo propitio, eiusdē regis 14. indictione 2. Quæ omnia uetustatem ac ingentem loci celebritatē arguunt. Quid quod & Vrba ad fluuiū Teillū sita est, qui in lacū Ebrodunensem, seu Iuerdunensem ingreditur? Vnde nec illi ob fluminis inopiā pagi nomē abrogare quisquam potest. Cæterum quinam alij duo pagi, & ubinam siti fuerint, commemorare mihi superuacaneū esse uidetur. Quū enim nullus ueterum (qui saltem extāt) authorum de illis quidquam literis mandauerit, & tanta annorum series multa in locis, ac eorum incolis uariauerit: frustrà solis cōiecturis res tentatur. Quid nanq, Deus bone, cōiectando in his duobus pagis nomine carentibus effecerimus, quando inter eruditissimos quosq de alijs nomen suum adhuc retinentibus nondum conuenerit? Si enim cōiecturalibus argumentis agere uellem, nec mihi coniecturæ deessent: quibus probabile redderem, Auenticensem quoq agrum fuisse unum ex Helueticis pagis. Etenim quando Auenticum à Cornelio Tacito gentis totius caput dicitur: probabilius est id pago nomen dedisse, quàm quod alij subiectum fuerit. Turpe nanq toti Heluetiæ ciuitati fuisset: si metropolis alijs oppidis & pagis subdita fuisset, & non principē locum in hac quoq parte habuisset. At nihil de hac re affirmauerim, nec temerè in cuiusquàm uerba magistri in istiusmodi, & alijs negotijs iurauerim: interim tamen per me licet ut suo quisq sensu abundet. Tantū de ueterum Heluetiorum pagis. Quia uero Volaterranus, & Sabellicus perperam de recentiorum Heluetiorum pagis scribunt, & multos exteros secum in errorem ducunt: appendicis, & coronidis uice illorum nomenclaturam or-

dine ſubijciam. Nam ſi quis plura de maiorum noſtrorum fœdere, & primordijs ſcire cupit Glareani deſcriptionẽ, & Myconij præceptoris mei plurimum obſeruandi ſuper eandem commentariolum uideat.

TREDECIM ERGO HELVETICO-
rum pagorum nomina, & ordo ſic habet, Tigurum ſe-
Thuregum, Berna, Lucerna, Vria, Suitia, Subſiluania,
Tugium, Glarona, Baſilea, Friburgum in Nuich-
thonibus, Salodorum, Scheffhuſia, & Ab-
batis cella. His fœdere iuncti ſunt
Sangalenſes, Lepontij, Val-
leſiani, Milhuſiani, Biel-
nenſes, & Rotun-
uillani.

NB propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt.) Glareanus in primi pagi Heluetici deſcriptione, putat Durgeum agrum hic à Cæſare ſignari. At D. Oſ. Myconius illius χο-ραγός, ac Venerandus mihi præceptor iſthic admonet, eum poſtea diuerſam coniecturam attuliſſe: nempe Auenticenſem, & Muretanum agrum rectius hic intelligi. Id quod & mihi uero ſimilius apparet, Tametſi enim Durgæus ager uber ſit, tamen Auenticus & Muretanus multò uberior eſt. Etenim præter frumenti, paſcuorum, & ſyluarũ copiam: uina illa nobiliſsima (quæ illuc etiã in Sueuos transportantur) non procul ab eo tractu proueniunt quæ à lacus ripa Ripenſia uocantur. Præterea Mureum

uerſus

uersus lacus (quem quidam olim ad Auẽtici usq; mœnia pertigisse autumant)piscosissimus est,qui etiamnũ & Friburgensibus, & Bernatibus satis piscium suppeditat, præterea tantus fructuum prouentus in prædicto agro est:ut incolæ per totum autumnum,ac hyemem,poma,pyra,ac nuces Friburgum,ac Bernam uectent. Quæ omnia Germanos terram steriliorem incolentes facile ad occupandum ea loca pellexissent:præsertim si ea cultoribus uacua intellexissent. Quàm enim auidi fertilioris soli & maiores,& minores Germani sint,Belgarũ, Ariouisti,Burgundionum,Nuichtonum, & Francorũ irruptio in Gallias docet. Nam omnes hi(præter unum Ariouistum cum suo exercitu inde pulsum) isthinc auelli non potuerunt. Imò quotquot fermè Germani etiamnum trans Rhenum in Galliam ueniunt,frugũ,& fructuũ dulcedine capti:perinde patriæ suæ obliuiscuntur,atq; ij qui Lotum gustauerunt. Nihil autem (ut hoc ceu corollarij uice addam) obstat quo minus Cæsar toti Heluetiorum agro timuerit:ne uidelicet è suis finibus egressi Germani in eorũ fines transirent. Quod autem potissimum de Auenticensi (qui dubio procul tunc temporis Antuates, Gaienses, Equestres, atq; adeò totum tractum illum transiuranũ usq; ad Geneuæ pontem complectebatur)agro Cæsar loquatur,sequentia uerba arguunt, ubi ait:& finitimi Galliæ prouintiæ, Allobrogibusq; essent. Etenim(ipso Cæsare supra testante) Iuramons Sequanos ab Heluetijs, Lemanus uero lacus,& Rhodanus eosdem à Romanorum prouintia discriminabat. Prædicti autem populi in extremis Heluetiorũ finibus Geneuam uersus habitant. Qua de re consule 3.

Ptole.

Ptole. & Tschudi tabulam. Boios petentibus Heduis, quod egregia uirtute.) De hoc negotio Cæsar infra lib. 7. sic ait. Vercingetorix rursus in Bituriges exercitum duxit, atq; inde profectus Dergobiam Boiorum oppidũ, quos ibi Heluetico prælio uictos Cæsar collocauerat, Heduisq; attribuerat. In Castris Heluetiorum tabulæ repertæ.) Quidam putant istas Heluetiorum tabulas Græcis duntaxat literis, & sermone Gallico confectas esse. At magis crediderim eas & literis & uocibus Græcis eo more conscriptas fuisse, quo maiores nostri ante centũ, & quinquaginta annos Latino sermone in publicis instrumentis, & rationibus usi sunt. Quemadmodum nanq; in hunc usq; diem apud nos ingenui Latinis, sic ueteres illi Heluetij, & alij Galli in Græcis instituebãtur literis. Quum enim Massiliam Romani studiorum causa adierint: uero nõ dissimile est etiam Gallos eò gratia discendi Græcas literas concessisse, præsertim quum hæc urbs in ipsorũ terra esset sita. Cui cõiecturæ & Strabo, & Cæsar ipse locuples dant testimonium. Ille nanq; lib 4. sic de Gallorum studio scribit: ἡ φιλέλληνας κατασκευάσι τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνισὶ γράφειν. Hoc est, Budæo paraphraste, Eadem urbs Massilia Gallos linguæ Græce studiosos fecit, & eò usq; amantes: ut cõtractus, & cõuenta apud eos Græco sermone concipiantur. Hic uero infra li. 6. de bello Gallico refert Gallos in omnibus ferè rebus publicis, & priuatis rationibus, Græcis literis usos esse: Hæc illi. Vnde primò manifestũ fit, Gallos non tantũ Græcorũ elementis in scribendo, uerumetiam eorum sermone in diplomatis usos esse. Deinde nõ uulgus, sed tantum scribas, & potentiores nobilio-

nobilioresq; homines Græcitati studuisse hac nota ferè, Cæsar innuere uidetur. Quũ nanq; dicit, penè in omnibus cũ publicis, tũ priuatis rationibus, & cõtractibus literis Græcis usos: aliquos nimirũ excludit. Quorũ posterius idẽ Cæsar adhuc planius facit lib. 5. de bello Gal. ubi ait: Epistolã Græcis literis ad Ciceronem in hybernis obsessum ideo exaratam, ne ea intercepta, Romanorũ consilia hostibus proderentur. Nam si uulgo apud Gallos Græcè sciuissent, frustra hoc consilium Cæsar in scribenda Graia epistola cœpisset. Sed dices, qua ergo lingua ueteres Gallos usos esse arbitraris? peculiari quadam, cuius usus apud eos propter uaria bella cum Romanis gesta, & seruitutis iugum eisdem impositum, intercidit. Huius tamen uestigia aliqua adhuc apud Britones maritimos Lugdunensis Galliæ populos extant. Siue enim hi ex Britannia in maritima Galliæ loca concesserint, siue ex Gallijs in Britanniã migrantes insulæ nomen dederint: certe illorũ lingua (ut mihi fide dignissimus D. Ioannes Burcheirus Anglus Tiguri sacris literis operam dans retulit) semirhomana aliorum Gallorum dialecto prorsus aliena est, & conuenit pulchrè cum eorum Britannorum lingua, qui in montanis habitant, quos Angli Vualos uocant. Hi autem (ut Anglorum annales ferunt, & D. quoq; Ioannes Butlerus homo non tantum maiorum stemmate, uerumetiam literis, ac pietate ornatus, mihi dixit) indigenæ in sua insula sunt, moribus, ac lingua differentes à nouis incolis, qui ante aliquot annos illa loca occupauerũt. Atq; hanc meã sententiam, ac illorum bonorum uirorum relationem duo doctissimi uiri in æditis suis libris confirmant. Volater-

ranus enim lib. 3. Geographiæ de Britonibus hæc literis mandauit. Ante omnes, inquit, Britones ſummum occupant ad mare locum. Hos Procopius ex Britannia inſula colonos eſſe dicit. Beda uero hos potius in Angliam traijcientes inſulæ nomen dediſſe. Plinius Britannos populos in hoc Gallorum litore nominat, Strabo etiam Britanniã urbem inter Aquitanos Britonibus uicinos ponit. Cæſar in commentarijs ſcribit, Gallos proxima Britanniæ litora ad prædandum occupaſſe. Gens eſt nunc bello fortiſſima, ſæpe Gallorũ regibus formidoloſa. Hæc ille. Rhenanus uero lib. 2. Rerũ Germanicarum, Sermo, inquit, quo peculiariter Gallia fuit uſa priuſquàm in prouintiæ formam redigeretur à Romanis, prorſum putatur abolitus. Non ſecus ſuum amiſere & Hiſpaniæ. Cæterum non deſunt, qui putent ueterum Gallorum linguam non abſimilem fuiſſe Britannorum catalecto, quos Anglia Vualos uocat. Nam in uita Agricolæ Tacitus de Britannis agẽs, in uniuerſum tamen, inquit, æſtimanti, Gallos uicinum ſolum occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas ſuperſtitionũ perſuaſione. Sermo haud multum diuerſus. Hactenus & ille. Cuius ſanè ſententia mihi plus arridet, quam eorum qui putant Gallorum, & Germanorum eandem olim linguam: & confœderatos, ſeu Suiteros plærosq; non in ueterum Heluetiorũ ſedeis migraſſe, ſed ab ijſdem ortos, & priſcam parentũ linguam reſeruaſſe. Argumenta enim quibus id probare uolunt non ſatis ſolida uidẽtur. Tametſi enim multa Gallica & hominum, & rerum nomina ad Germanicam etymologiam utcunq; detorqueri poſsint: tamen non ſtatim conſequitur Gallos omnes Ger-

manice

manicè locutos. Quum enim Cæsar ipse à principio lib. 1. & secundi asserat, non eandem omnibus Callis linguam fuisse, ac plerosq; Belgas à Germanis ortos, Rhenumq; antiquitus traductos: fieri potest, ut aliqui ex eis patriam linguam retinuerint, donec unà cum iugo Romanorum linguam receperũt. Atq; ita uerisimile est, margam à Plinio & Galbam à Suetonio &c. inter Gallicas uoces recenseri: aliasq; multas Germanismi reliquias etiamnũ in Gallorum lingua extare. Vt taceam interim quod nulla lingua tam propria nunquam fuerit, quin ab alia quasdam uoces mutuata sit. Nostra nanq;, hoc est Germanica lingua, multa ex tribus illis nobilissimis totius orbis uocabula habet: ut gadol, midda, zimna, gadol enim nos prægrandem, & uastam domum, midda modum, ac zimna tempus oportunum dicimus, quando significamus, arborẽ suo tempore amputandam. Quæ uoces Hebræis cognatæ sunt, imò eædẽ. Adhæc θύρα, thur, μύλη muli, βρόσκειν broesslẽ, μῦκος miggis, λύειν luuen, hoc est, requiescere, πλύειν spuuen. Quæ uocabula Græcus statim agnoscit. Item uinũ uuin, Vas uass, esse essen, Spinetũ Spinet, Prunũ pfrum, Persicum pomũ, Persich: aliaq; sexcenta. Atq; hæc uerba Latinus homo statim capit. Si quis autem hinc euincere uellet, maiores nostros Hebraicè, Græcè & Latinè uulgò locutos esse: an non hallucinaretur, & perperam colligeret? maximè. Ne igitur propter aliquot Gallorum uocularum Germanismum resipientes, colligamus, eos olim Germanica usos lingua. Fieri nanq; potuit, ut & Gallia Germaniæ uicina, aliquot uocabula propter commertium ab ea mutuata sit. Huc accedit, quod prius de lingua certum esse

oportet, qui nominis argumento aliquid probare uult. Alioquin tales confingerentur etymologiæ, quales nonnunq̃ homines inepti ex aliena uenantur lingua: utquendam audiui uocem theutonicam pur hoc est colonus à puritate deriuare, quasi coloni omnes sint puri, ac synceri. Cum potius per syncopam Germani bûr pro bauer. i. colonus dicant. Quia ergo de ueterum Gallorum lingua non admodum certi sumus an Germanica fuerit necne: argumentũ quoq; inde ductum infirmum est. Ne dicam interim quod multæ Gallicæ uoces apud scriptores sunt, quas utcunq; detorqueas ad Germanicã etymologiã: tamen nullũ Germanismũ deprehenderis aliquid certi significantẽ. Talis est uox petoritũ apud Au. Gellium, rheda apud Quintilianum, essedumq; apud Virgiliũ: Ambactus apud Sex. Pompeium Festũ, Alauda, & becus apud Suetoniũ. Seruio etiam authore alpes prisca Gallorum lingua alti montes uocantur. Talis est quoq; dictio leuca, uel leuga, quæ (Iornande authore) 1000, & 500 passus Gallis significabat. Eius generis dictio Soldurios apud Cæsarem lib. 3. Gallici belli est: quæ sanè Teutonis non ita denotũ (ut ille interpretatur) sed stipendiarum denotat. Item Dog, magus, & Dun, quas uoces eruditi omnes, ueteris Gallicismi reliquias esse dicunt. Atqui Dog nobis non canem, sed pupam: magus non domum, sed uentriculum, aut uirginẽ, seu ancillam: Dunum non montem, sed dunn. i. tenue significat. E cõtra quæ uoces à priscis authoribus Germanicæ habentur, Germanismũ etiam insipidis Germanis sapiũt, & ab eis nullo negotio agnoscuntur. Quis enim quæso tam stupidus est, ut uocem ganzam apud Plinium, glesum,

ſum, & Hertum apud Tacitum pro Germanorum uernaculanon agnoſcat? Huc adde, quod Cæſar in hoc eodem lib. refert Arioviſtum longinqua in Gallijs conſuetudine Gallicam linguam didiciſſe. Nam ſi eadem utriuſq; gentis lingua, quid opus erat illum tanto uſu ſibi Gallicæ linguæ cognitionem parare? Nec eſt, quod naſutus, & argutulus aliquis dicat, Celticam dialectum duntaxat à Sueuica diuerſam fuiſſe: ad quam diſcendam perinde longo uſu habuerit opus, ut ſi quis Sueuus nunc inferiorum Germanorum proprietatem, ac pronuntiationē addiſcere uellet. Cum enim Arioviſtus homo non priuatus, ſed magiſtratus, & rex apud ſuos adhuc in Germania agens, eſſet: uero conſentaneum nō eſt, eum inferiorum Germanorum dialecti adeò ignarum, ac inexpertum fuiſſe, ut tanto diſcendi ſpatio (ſicuti Cæſar hic ait) indigeret. Proinde mihi dubium non eſt, quin Polybius, Plinius, Tacitus, & alij ſcriptores, qui Germaniam, & Galliam inuiſerunt, indicaſſent eandem utriſq; linguam fuiſſe: ſi dialecto tantum interſe uariaſſent. At tantum abeſt, ut hoc literis mandauerit, uti Tacitus in lib. de ſitu, & moribus Germanorum planè contrariam aſtruat ſententiam. Sic nanq; ſub eius libelli finem ait: Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit, non eſſe Germanos. Hæc ille. Quod ſi igitur Gothinos ideo non Germanos eſſe uult, quod Gallica lingua uterentur: uelimus, nolimus, concedendum eſt, Gallicam à Germanica lingua ut nunc, ita & olim diuerſam fuiſſe. Quia uerò Cæſaris uerba de Græcis Heluetiorum tabulis plana iam eſſe arbitror, auctarij uice (ſicuti promiſimus) addamus: an probabile ſit, maiores noſtros ab

illis ortos, & priſcam linguam retinuiſſe, qua nos eorũ poſteri etiamnum utimur. Vt ergo utrunq; iſtorum aliter habere comprobemus, ueterum monumenta, & hiſtorias in medium adducere oportet. Eutropius itaq; ſcribens Heluetios ſuo tempore Quados eſſe dictos, ſatis arguit, ueteribus Heluetijs deletis, nouos incolas in eorum ſedeis migraſſe: Clarus enim hiſtoricus ille extitit ſub Valẽte, Graziano, & Valẽtiniano Romanorum Imperatoribus ſimul regnantibus, circiter annum Domini 370. Heluetios autẽ à Quadis Germaniæ populis dictos nemo negauerit. Nã Ptolemæus lib 2. cap. 11. tabula Europæ 4. eos ſub Herciniũ nemus collocat, ubi ferri minera effodiatur: quo loco & Pyrcheimerus etiam noſtro ſæculo eorũ oppida Kam, Kalmuntz, & Grauenouiam cum ijſdem ferrifodinis ſita eſſe commemorat. Nec etiã quiſquam dubitauerit, Quadis tantas uires fuiſſe, ut Heluetijs priſcis deletis, eorum ſedes occuparent: qui Iulium Capitolinũ, Flauium Vopiſcum Syracuſium & Ammianum Marcellinum legit. Hi enim adeò uniuerſum, & bellicoſum fuiſſe populum memorant: ut proprium habuerint regem, ac Romanorũ Imperatoribus Antonino Philoſopho, Diuo Aureliano, & Conſtantio multum negotij fecerint. Cui ſententiæ & Andreas Alciatus homo doctiſſimus accedit: ita enim in librum 7. Cornelij Taciti de Heluetijs annotauit. Eutropius eorum ſedes à Quadis occupatas ſatis oſtendit, ut ſuſpicer omneis deletos, quum Quadi, Marcomanniq; ſub Aureliano in Italiam irrupêre. Extat adhuc in eis uallis Marcomana nomine. Periêre & illi, atq; ab Alemannis (colluuies Germanorum erat) ſuperati in eorum ditionem conceſſere.

concessere. À Theodorico deinde Gotho uicti, Francis ex fœdere dediti sunt. Aucti demum Saxonum accessione (quos ob uiolatam pluries fidem sedibus eiectos Carolus Magnus in alpeis cõiecit) Suitenses cœpêre dici, paruere deinde regibus Germanorũ. Centum ferè anni sunt, cum se cæsis præfectis in libertatẽ asseruêre, cum cæde repræssis Cæsaribus. Hæc ille. Quæ quanquam satis fidei apud candidum lectorem habitura crediderim: tamen maioris euidentiæ causa, & alia subijciamus argumẽta, partim ex historijs, partim à nostra experientia sumptis. Quum itaq; passim in historijs, & gentium annalibus legamus, multos Germaniæ populos in Gallias aut sua sponte migrasse, aut à principibus eò locatos esse: ijdem hauddubie semiuacuas quoq; Heluetiorum sedes occupauerũt. Sic Belgæ plerique omnes populus Germanicus Belgium, Sic Gothi, ac Huni Vriam, & Nuichthones Bernensem, ac Friburgensem tractum inuaserunt. Cuius rei satis magnum argumentũ uox Nuichtlandia, quæ Sueuismũ pulchrè redolet: & hodierna Nuichthonum lingua & termini in superiori Bernatũ ditione extantes sunt. Quemadmodũ enim à Nuichthonibus Sueuicis populis originem trahunt: ita & dialectum Sueuicam in multis dictionibus seruant. Vbi nanq; alij Heluetij uch, & flugen, hoc est uos, & muscæ dicunt, Bernates, & Friburgenses uocalẽ addentes, euch, & fleugen pronuntiant. Quin & pagus in Bernensium agro est non longe ab urbe, in uia, quæ Nidouiam ducit, qui dubio procul ideo Sueuicus uocatur terminus: quod olim Sueuorum, hoc est Nuichthonum termini illò pertingerent. Deinde quum Donatus Acciaiolus memoriæ prodat decem

Saxonum

Saxonum millia per Carolum magnum unà cum uxoribus, ac liberis in Galliam transportata esse: uero non dissimile est, plærosq; in ijs finibus collocatos esse, qui nunc Suiterorum sunt. Siquidem nomen eorum rectius à Saxonum Vitis (ut Rhenanus admonet) quam à Suedis deriuari uidetur. Huc adde quod & pristina bellandi uirtus, & linguæ Saxonicæ affinitas supereſt. Nam Suiteri æque pugnaces, ut prisci uitæ, adhuc sunt, & hoc discriminis duntaxat lingua habet, quod illi secundum communem Germanorum dialectum sibi pronuntiant, ubi hi Attico more T. Quin & Suetonius, & Europius lib. 7. asserunt circiter quadringenta captiuorum Germanorum millia supra ripam Rheni in Gallia per Augustum Cæsarem collocata esse. Atq; hæc quidem satis esse reor ad probandũ, maiores nostros non indigenas, sed aduenas: nec ex ueteribus Heluetijs Gallicã, sed suam, hoc est Germanicam linguam seruasse. Interim tamen non inficias iuerim, fieri potuisse, ut aliquæ ueterum Heluetiorum reliquiæ adhuc superfuerint, quando Germani illorum sedeis occupauerũt: maxime circa Muretum, Auenticum, Friburgum, & ultra Biellas, & lacum Erlachensem. In illis enim locis magna ex parte Romanam imitantur linguam sed corruptissimè. Hæc autem causa est, cur ij Heluetij qui trans prædicta oppida habitant Geneuam usq; semi Romana utantur lingua, & nos qui citra agimus Germanicè loquamur: quod illorum maiores citius in Galliam irruptionem fecerunt, quippe Romanorum præfectis isthic adhuc ius dicentibus, & suam linguam illis obtrudentibus: nostri uero quum Romanorũ imperium caput inclinasset, & ad Fran

cos

cos iam transſlatum eſſet: qui nihil morabantur qua nam lingua ſubditi ſui uterentur, modò dicto audientes eſſent. Hinc etiam factum eſſe puto, ut Franci, Burgundiones & cæteri Germani, qui Galliam in tempore occuparunt etiam in Romana lingua Germaniſmos multos commit= tant. Sicuti & Langobardi in Italia faciũt, & pleriq; ſe= midocti ex Germanis etiam Latine loquẽtes ſuum idiotiſ= mum admiſcent. Id quod & apoſtolis Chriſti Græcè ſcri bentibus accidit. Quo fit, ut nec hoc firmum ſit argu= mentum: multi Germanorum idiotiſmi in ſemi Romana Gallorum lingua nunc deprehenduntur: ergo omnium ue terum Gallorum lingua Germanica fuit. Galliæ to= tius factiones eſſe duas.) Originem belli cum Ariouiſto geſti ac Diuitiaci oratione exponere incipit. Eſtq; hoc al= terum bellum, quod in hoc libro conſcribitur: quemadmo= dum in argumento monuimus. Porrò ſicuti amicitia inter bonos, ita factio inter malos eſt. Harum alterius prin= cipatum tenere Heduos, alterius Auernos in Aquitania inter Ligerim, & Garumnã ponit: ac metropolim Nemo ſum ſupra amnem Ligerim poſitam eſſe tradit. Volater= ranus lib. 3. Geographiæ eoſdem ſub Duce Borbonio agi= tare ſcribit, ac priſcum nomen etiamnum ſeruare. Cuius ſententiæ Iucundus aſtipulans, auergne nunc gallicè ap= pellari affirmat. Poſtquàm agros, cultum, & copias Gallorum.) Cornelius Tacitus lib. 20. hiſtoriæ Auguſtæ ſub Cerealis perſona refert, Germanos ſæpe in Gallias tranſſcendiſſe: neq; aliam tranſeundi cauſam eis fuiſſe, quàm libidinem, auaritiam, & mutandæ ſedis amorẽ: ut relictis paludibus, & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum

Galliæ

Galliæ ſolum unà cum Callis poſsiderẽt. Eadem Strabo lib. 7. de eis in hæc uerba ſcribit: Commune, inquit, eſt omnibus, quihunc tractum incolunt, ut aliò facile migrẽt, & propter uictus tenuitatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter pecuniarum inopiam &c. Porro Cæſar copias hic nõ pro militum multitudine, ſed facultatibus, ac opibus accipit: ita ut Vallam li. Elegan. 4. uere ſcripſiſſe appareat, quando inquit copias etiam in pluratiuo numero pro diuitijs ſumi. Agri Sequani, qui eſſet optimus totius Galliæ.) Eadẽ terræ ubertas adhuc in Burgundia eſt. Nam præter frumenti, & ſalis ex aqua excocti abundantiam: laudatiſsimorum uinorum copiã ea regio habet: quibus Magnus ille Eraſmus Roterodanus Baſilieæ agens unicè delectatus, & ad corpuſculi ſui infirmitatem ſuſtentandam uſus eſt. Harudum milia hominum 24 ad eum ueniſſent.) Iucundus Veronenſis Harudes Conſtance, hoc eſt, Cõſtantienſes interpretatur: ac nimirum totum eum tractum intelligit, qui illis trans Rhenum, & lacum Acronium eſt ſitus: ubi Buchornum, Mersburgium, ac Vberlinga nũc poſitæ ſunt. Ateum falli longiſsime, Ptolomeus lib. 2. cap. 11. arguit. Illic enim Charudes (Sic nanq; Græco more appellat) non longe à Cimbrica Cherſoneſo ponit: ac dicit eos Phunduſijs magis orientales eſſe. Quod ut liquidò uideas, eiuſdem quartam Europæ tabulam conſpicito. Sequanis uero, quibus intra fines ſuos &c.) Sequanis perinde accidit, atq; equo illi (ut eſt in apologo) cui res cum ſylueſtri Capro erat, & ut eum uincere poſſet, hominem pugnandi peritum in dorſum ſuum recipiebat. Quemadmodum nanq; hic hominis auxilio

auxilio victor euasit, sed sessorem tergo excutere in posterum nequiuit: ita & Sequani ope Ariouisti Heduos quidem aduersarios uicerunt, at eum, quem semel in fines suos receperant, suo Marte ex eis depellere non potuerunt. Quod exemplum utinam nos quoq; admoneat, ne in uicinorum, aut fœderatorum cõtrouersijs alienigenarum implorem us opem, sed potius utraq; pars tantum de suo iure cedat, quantum per religionem, ac Christianam pietatem licet. Felix enim quem faciunt aliena pericula cautum.

Vt ante Cimbri, Teutoniq; &c.) De hac historia legito Eutropium li. 5. Florum lib. 67, & 68. Cornelium Tacitum de situ, & moribus Germanorum, & lib. 20. historiæ Augustæ. Item Volaterranum lib. 38 παραλειπομένων lib. 2. & 7. Geographiæ. Deniq; Rhenanum lib. 1. Rerum Germanicarũ. Porrò Cimbricam Chersonesum ueterum Cimbrorum sedem hodie ducatum Holsatiæ, & Schlesnicensis regionis Pyrcheimerus esse putat. Teutonũ autem domicilia ibi fuisse, ubi nunc Marchia est: cuius hæ sunt ciuitates, Berlinũ, & Brandenburgum. De quibus quaram Europæ picturam consulito apud Claudium Ptolemæũ. Obseruabis autem uocem Teutonus secundæ quoq; inflexionis esse. Cum in consulatu suo rex, atq; amicus.) Hanc rem ipse Cæsar infra post quatuor pagellas denuò fusius narrat. Treuiri autem pagos centum Sueuorum.) Infra lib. 4. de bello Gallico idem asserens, hoc addit, quod Sueui ex centum pagis suis quotannis singula armatorum millia bellandi causa è finibus suis educere soliti sint. Centum Sueuicorum pagorum & Cornelius Tacitus cõmeminit in lib. de situ, & moribus Germanorum:

ubi & Althameri annotationes uideo. Vesontionem.) quod Galli nunc Besanson, & Germani Bisantz uocant, V consonante in B, & e in i mutata. Ad ducendum.) Id est, producendum bellum κατ' ἀφαίρεσιν. Flumen Alduabis, Beroaldus, & Marlianus Alduasdusius legunt, quorum posterior unà cum Iucundo eundem Gallice nũc Ledouix uocari dicit. Quâ flumen intermittit.) Id est desinit, uulgo da das uuasser eruuint. Ingenti magnitudine corporum Germa.) Ipse Cæsar infra à principio li. 4. hanc uastitatis corporũ causam esse dicit, quod lacte uictitantes multiq; in uenationibus sint. Quæ res & cibi genere, et cotidiana exercitatiõe & libertate uitæ (quod à pueris nullo officio, aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra uoluntatẽ faciunt) & uires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Et lib. 6. eandem propemodum immanitatis corporum causam ita assignat: Vita omnis in uenationibus, atq; in studijs rei militaris existit: ab paruulis duritiæ, ac labori student, qui diutissimè impuberes permanserunt, proximam inter suos laudẽ ferunt. Hoc alistaturam, ali hoc uires, neruosq; confirmari putant. Hic primum ortus est à tribunis militum.) Tribunum militum (ut inquit Vegetius lib. 2. cap. 8. de re militari à tribu denominatur, tribuendoq; iure: qua præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Hæc ille. Græcè idem magistratus χιλίαρχος significantius uocatur, eo quod mille militibus præsit. Duo autem eorum genera (eodem Vegetio teste) sunt, maior, qui per epistolã sacram imperatoris iuditio destinatur: & minor, qui ex labore prouenit. Qui ex urbe Cæsarem amicitiæ causa secuti.)

Plutarchus

Plutarchus in Iulio multos nobiles, & claros adulescentes Romæ fuisse tradit: qui cum Cæsare in Gallica expeditione uoluptatis, ac lucri causa se illi adiunxerint.

Vt satis commode supportari.) id est, ne satis. Vehementer eos incusauit.) Hæc oratio partim deliberatiui generis, partim iudicialis est. Nam ab initio eos à pusillanimitate dehortans, utitur locis ab honesto, & facili: dum ostendit quid prudentes, cordatos, ac constanteis milites deceat, & dum hostium uires attenuat. Deinde uanum detractatæ militiæ prætextum eis exprobrans, se contumelia affectum esse prædicat: cum de ipsius prouidentia, ac cura desperassent. Postremo, orationē suam instar circumspecti Imperatoris ita temperat, ut militibus hortando, & dehortando non parceret, & è diuerso animos ipsorum nimia obiurgatione non offenderet. Vnde discimus illius Spartani dictum longè & prudentissimum, & uerissimum esse: Malo, inquit, ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum duce ceruo. Siquidē hac leonini planè imperatoris oratione ita commoti sunt milites, ut ex timidis, ac ignauis, acerrimi, ac fortissimi in prælio cum Germanis facto redditi sint. De Leucis consulito Marliani Indicem. Nam de Lingonibus supra annotauimus quædam. Itaq; se, quod in longiorem diem collocaturus esset, repræsentaturum.) Epilogus affectuū militarium plenissimus est. Miros nanq; ad deponendum timorem in animis eorum aculeos relinquit, dum ait, se periculum facturum euestigio utrum pudor, an officium militare plus apud eos posset, an timor ex uanis rumoribus incussus. Porrò pro eo quod mendosè hic repræsentaturum in quibusdam exemplari-

bus habetur: Beroaldus tẽtaturũ legit, et rectius quidẽ meo iuditio. Sibiq; eam prætoriã cohortẽ futurã.) Quot cohortes in una legione fuerint & q̃ diuersæ, legito Vegetiũ li. 2 ca. 6. Cæterũ ideo prætoria dicebatur cohors, quod à Prætore nunquam discederet. Dabantur autem (inquit Cornelius Tacitus lib. 1. historiarum) eius cohortis militibus bini denarij in diem: quum aliorum cohortium milites singulos tantum acciperent, hoc est decem asseis. Hanc cohortem nunc uulgò Guuardiam ex Germanismo, & Gallicismo uocant. Hac oratione habita.) Hic cernere licet illud Tranquilli de Cæsare elogium non esse falsum, quando dicit: eum milites sibi adeò obsequenteis habuisse, ut seditionem per decem annos Gallicis in bellis nullam mouerint. Quod de se optimum iuditium fecisset.) id est optime sensisset, ac optimam spem concepisset.

Se esse ad bellum gerendum paratissimum.) Oratio hæc sensu magis, quàm uoce est congrua, quemamodum & illa in Terentij Prologo, quam Enuchũ. Sicuti nanq; hic non ad mas uocem Eunuchũ, sed Comædiã relatiuum quam respicit: ita & illic adiectiuũ non ad legionem fœminam uocem sed ad militem masculinam. Quanquam Aldus paratissimam, non paratissimum legit. Se prius in Galliam uenisse, quàm populum.) Per Galliam hoc loco Ariouistus reliquas trans alpinæ Galliæ partes intelligit, quæ extra prouintiam sitæ sunt. Quoniam & Hedui Celticæ Galliæ populi & multo antequam Ariouistus in Galliã uenisset, Populo Romano & socij, & fratres erãt: constat illum haud uere affirmasse, quod prius in Galliam uenisset, quam Populus Romanus: ideoq; his nullum ius esse

esse in eam Galliæ partem, quam ipse armis cœpisset.

Quòd si eum interfecerit, multis sese nobilibus.) Inter hos nimirum & Cato haud postremus, qui postea Vticensis dictus est, fuit. Siquidē Plutarchus in Nitiæ, & Crassi comparatione refert eum censuisse, ut Cæsar cum 30 Germanorum millia cecidisset, hostibus dederetur. Cuius sententiæ & aliarum rerum Cæsar recordatus, postea Anticatonem composuit. Bello superatos Aruernos, & Rutenos.) De Aruernis supra locum ex Strabone adduximus, de Rutenis nunc dicemus. Idem Strabo eos Narbonensi prouintiæ uicinos esse docet, & argentarias artes apud eosdem uigere. Volaterranus lib. 31. Geog. eos nostro tempore Rutenenseis uocari perhibet: Iucundus uero Gallicè Rodes. Vide Aquitaniæ extremitates uersus Ro. prouintiam in 3 Europæ tabula apud Ptolemæum. Quod si antiquissimum quod'q; tempus.) Quum Ariouisti mendacium Cæsar ciuiliter refutare cœpisset, uidelicet, neq; se iudicare Galliā potius esse Ariouisti, quàm Populi Romani: Bello enim superatos Aruernos &c. nunc concludit dicens. Quod si ergo antiquissimum tempus spectari oportet, Po. Ro. iustissimū esse in Gallia imperium &c. Porrò L. Florus lib. epitomes suæ 6 superiora Cæsaris uerba cōfirmans, ita scribit: Cn. Domitius proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium multum feliciter pugnauit: quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutonalium Saluiorum regem fugientem recepissent, & omni ope uicissent. Quod'q; Heduorum agros sociorum Po. Romanū uastauissent. Et paulo post. Q. Fabius Max. consul Pauli nepos aduersus Allobroges, & Bituitum Aruernorum

regem feliciter pugnauit. Hæc ille. Quæ omnia satis declarant, non esse uera, quæ Ariouistus antea dixerat: nempe Romanis ius dominandi in solam prouintiam Narbonensem ante id tempus fuisse. Ista enim omnia ante Ariouisti incursionem, in Gallijs gesta sunt alijs. Genus hoc erat pugnæ, quæ si Germ.) Eadem fermè de equestri Germanorum prælio infra ab initio lib. 4. Cæsar, & Ammianus Marcellinus lib. 16. refert: ubi pugnã Iuliani Cæsaris cum Alemannis initam describit. Hoc autem pugnæ genus ante hoc tempus à Romanis quoq; usurpatum ex Paulo Orosio discimus: qui lib. 4. cap. 18. de prælio inter Hasdrubalem & Romanũ exercitum in Italia commisso, ita scribit: Diu quidem incertus belli euentus fuit, elephantis maxime Romanam infestantibus aciem, qui à militibus Roma. occisi sunt, quos à uolitando uelites uocant: quod genus militiæ paulò ante fuerat repertũ, ut lecti agilitate iuuenes cum armis suis post terga equitum sederent & mox quum ad hostem uentum esset, equis desilirent, & continuo pedites ipsi, ex alia parte equitibus, per quos aduecti fuerant, dimicantibus, hostem perturbarent.

Quatuor reliquas in castra maiora reduxit.) Ex superioribus apparet, Cæsarem tantummodo sex legiones Romanas habuisse. Supra nanq; dicit ante Helueticum bellum à segestum, unam tantum legionem in ulteriori Gallia fuisse: ideoq; se in Italiam profectum, ut duas isthic cõscriberet, ac deinde treis, quæ ad Aquilëiam hyemabant, ex hybernis educeret. Maiora autem castra ea uocat, quæ prius fecerat, & longius ab hoste sita erant. Tum demũ Ariouistus partem suorum copiarum.) Beatus Rhena-

nus lib.1.rerum Germanicarum existimat pugnam istam Cæsaris cum Ariouisto ad Diui Apollinaris factam: qui locus milliario Germanico à Rheno, & Basilea distet. Vnde patet, quàm longum iter Ariouistus emensus sit postea, antequam fugiendo Rhenum attingeret. Si ante nouam Lunam prælio contendissent.) Eandem superstitionem & Lacedæmonijs peculiarem fuisse Lucianus testatur, & Plutarchus in Iulio eadem quæ hic Cæsar de Germanis prodidit. Vnde autem factum sit, quod Germani nouilunium potissimum antequam præliarentur expectarent, ex ijs, quæ infra lib.6. de bello Gallico tradit manifestum fit. Quum enim eos solos in Deorum numero haberent, quos cernerent, & quorum ope iuuarentur apertè (ut est Sol, Luna, Vulcanus) ac reliquos nefama quidem nossent: superstitio, ac demētatio illa Diabolica facile inolescere potuīt, ut pugnam ante nouam Lunam non indipiscerentur. Cæterum eiusmodi uates, seu sagas multas apud Germanos olim in prætio habitas Cornelius Tacitus in libello de situ, & moribus eorundem, & lib.20. historiæ testatur: sic enim in priore scribit: Vidimus sub Diuo Vespasiano Velledam diu apud plæroſq; numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & compluris alias uenerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas. In posteriori autem de eâdem Velleda clarius ita loquitur. Ea uirgo nationis Bructeræ latè imperitabat, uetere apud Germanos more, quo plæraſq; fæminarū fatidicas, & augescente superstitione, arbitrentur Deas. Omnes alarios in conspectu pro cast.) Vegetius lib.2.cap.1. equitum quosdam hinc alarios dici arbitratur, quod ad similitudi-

nem alarum ab utráq; parte protegant acies: quæ ſuo tempore uexillationes à uelo uocarentur, quia uelis, hoc eſt flammulis uterentur. Generatimq; conſtiterunt.) id eſt, per genera, & nationes ſuas, ut ſequentia docent. At niſi pro conſtiterunt abſoluto uerbo tranſitiuum conſtitue-runt legas, quæ ſequuntur durius cum primo uerbo cohæ-rebunt: & cœptam diſtributionem non abſoluent. Cæterũ de Harudibus ſupra diximus, Marcomannos uero Ioachimus Vadianus doctus ille Heluetius, Morauos nunc dici autumat uulgò Mercker, uel Merher: idq; à marca, hoc eſt limite, eo quod fluuius inde nomen trahens Pannonios à Noricis ſeparet. Quos Cæſar hic Triboces, Plinius li. 4. cá. 17 & Cornelius Tacitus de ſitu, & moribus Germanorum, Item Eutropius lib. 6. Tribochos appellat. Eos Argentinẽſes Althamerus ex Conradi Celtis primi Germanorum poëtæ ſententia eſſe putat: Sic à tribus quercubus Dryadibus nymphis conſecratis nũcupatos. Mihi autem ex 3 Europæ tabula Ptolemæi uero ſimilius apparet eos eſſe, quos nũc Alſatios uocamus. Siquidẽ Ptolemæus Tribonos (ſic enim uocat, niſi exemplar mẽdoſum ſit) propius Elcebum (quod aliqui Seleſtadium interpretãtur) quàm Argentoratum ſtatuit. A' qua ſententia Strabo non abludens inquit. Poſt Eluetios Sequani, & Mediomatrici Rhenum incolunt, in quibus Tribochi natione Germani, relicto natali ſolo, traiecto'q; Rheno, ſedeis poſuerunt. Atq; hæc mea coniectura fuit, dum primã hanc fœturam Bernenſibus diſcipulis dictarem Anno 1529: quam poſtea incomparabilis uir Beatus Rhenanus ſuis æditis ſcriptis Anno 1531. confirmauit, ad cuius lib. primum Rerũ Ger.

te relege

relego. Vangiones plæriq; eruditorum Vuormatienſes, ac Nemetes Spirenſes interpretantur: at unus Pyrcheimerus inuerſo ordine, hæc duo exponi putat. Marlianus Seduſios & Sedunos, ſiue Sedunenſes eoſdem eſſe augu-ratur, ſed augurio ſuo fallitur Nam quum Cæſar hic Rheni accolas enumeret, qui cum Arioui ſto faciebant: non eſt probabile eum tam longe diſitos illis annumerare. Proin de Rhenani ſententiam lib 3. Rerũ Ger. magis amplector qui eos nunc Vuiſſenburgenſeis uocari, ſubiecta ratione non uulgari oſtendit. Porrò ne quid diſſimulem, Paulus Oroſius li. 6. ca. 7. hos Germaniæ populos à Cæſare uictos recẽſens, pro Seduſijs Edures ponit. Eò·)ſuple in rhedas & carros. Prælũ commiſit.)hoc eſt iniit, quæ locutio obſeruanda eſt. Millia paſſum ex eo loco circiter quinq;.) Plutarchus ſtadia quadringenta. Vide ſupra textum, & Annotat. Tum demum Arioui ſtus partem ſuarum copiarum &c.) Altera Norica.)Strabo lib. 7. Rheti, inquit, & Norici uſq; ad Alpium ſumma tenent, ac Italiam uerſus inclinant: hinc Inſubribus, hinc grauis uicini, & Aquileiæ tractui. Cæterũ Norica regio iuxta Pyrcheimeri deſcriptionẽ, ab Oeno fluuio incipit, protenditúrq; uerſus ortũ ad Pannoniam uſq; ſuperiorem: à meridie autem terminatur monte Carvanca, & alpibus Noricis ad Italiam uſq;: à Septrentrionibus autem Danubio. Nunc uero inhabitant occaſum uerſus Bauari. Ad ortum autem eſt prouintia, quæ Ens ex fluuij Anaſi nomine uocatur, & Auſtriæ pars eſt. Ad meridiẽ aũt Styria. In alpibus uero habitãt Carnici, partimq; Croaci gens Sclauonica. Comprahendũtur Norici nomine comitatus Goricẽſis, & Zi-

lienſes,regioneſq; adiacentes. Hæc ille de Norici limitibus,à quibus & Rhenanus lib.1.Rerum Ger. non diſſentanea ſcribit. Quàm potentes autem olim Norici fuerint infra ex lib.1. de bel. ciuilibus apparet: ubi Cæſar ait ſibi trecentos equites à rege Norico in axilium miſſos.

Quos ubi qui proximi Rhenum incolunt præter.)Rhenanus lib.3. Rerum Germanicarum pro Vbi,Vbij hic legendum,& uerbum ſenſerunt expungendũ opinatur,Nec uana(meo iuditio)cõiectura ducitur Clariſsimus uir. Infra nanq; lib.4.de bello Gallico patet,Sueuos Vbiorũ hoſtes fuiſſe acerrimos.Proinde uero ſimile eſt, nacta occaſione,hos illis talionem reddidiſſe. Ipſe in citeriorem Galliam ad conuentus agendos,) Quandoquidem Plutarchus Galliæ Togatæ limitem,& quid rerum Cæſar in illa egerit eleganter depingit:eius ſententiam iuxta Angeli interpretationem ſubiectam. His,inquit,rebus ita cõfectis,dimiſsis in Sequanos ad hyberna militibus,ipſe ijs, quæ Romæ agebatur,intentus,in circumpadanam deſcẽdit Galliam,quæ commiſſæ illi prouintiæ pars erat. Fluuius enim Rubicon Galliam citeriorem à reliqua diſterminat Italia.Ibi reſidens plæbis animos ad ſe perliciebat. Nam quum ad eum,multi concurrerent,unicuiq; tum poſtulata præbebat,tum ſpem ingẽtem addebat.In ea expeditione haud intellexiſſe Pompeius uidetur,quod Cæſar cum ciuium Romanorum armis hoſteis profligaret,ciues hoſtili uictos gaza capiebat.

Argu-

ARGVMENTVM LIB. II.
DE BELLO GALLICO.

Primo Belgarum coniurationem aduersus Po. Romanum, item coniurationis causas describit. Deinde quibus modis omneis partim ultrò se dedenteis in deditionem acceperit: partim uero belli iure uictos populi Romani Imperio subegerit.

IN C. IVLII CAESARIS
COMMENTARIORVM DE
BELLO GALLICO LIBRVM II.
Io. Rhellicani Annotationes.

B NONNVLLIS etiam quòd in Gallia à potentioribus.) Huius rei exempla superius li. 1. de Orgetorige, ac Dumnorige regni affectatoribus habemus, & infra lib. 6. copiosius potentiorum in Gallijs mores describit: quippe quo pacto impotentiores à potentioribus, ac tenuiores à ditioribus opprimerentur. Dat negotium Senonibus reliquisq; Gallis.) Sequana nanq; fluuius, & Cemmeni montes ex parte Senones à Leucis, Triccasios à Mediomatricibus, Parisios à Rhemis, Cenomannos à Suessoni

bus disterminant, ut est uidere in; Europæ tabula apud Ptolemæum. Porrò Senones nũc Gallicè Sen uocantur.

Rhemi qui proximi &c.) Hi nunc uulgo apud Gallos Rains appellantur, quos Volaterranus lib 3. Geog. Rhemenseis uocat, & apud eos S. Remigij ampullam esse refert: ex qua Gallorum reges inungi solent, ac deinceps diademate iam inde à Clodoueo primo rege. Germanosq; qui ripas Rheni incolunt &c. Rhenanus lib. 1. Ger. hunc locum sic exponit. Ex ueteri Germania Nemetes, & Vangiones Rhenum transcendêre fixis ad ripam sedibus. De his intelligit Cæsar, quum apud hunc lib. 2. Com. Rhemi narrant Germanos, qui ripas Rheni incolunt sese cũ Belgis coniunxisse. Vtne Suessones quidem fratres &c.) Quos Cæsar Suessones hic, Ptolemæus Vessones nuncupat: eosq; in tertia Europæ tabula supra Rhemos aquilonẽ & occasum uersus ponit. Gallicè iam Soissons uocantur. Plurimi inter eos Bellouacos.) Bellouacos Volaterranus in præcitato lib. Belluacenses, & Iucundus Beauuois nunc Gallice uocari asserunt: Neruios Ternacenseis, & Gallice Tournay. Iidẽ Neruij à Ptolemæo uocati sunt, quantũ ex; Europæ tabula conijcere licet. Quindecim millia Atrebates.) Hos, inquit Volaterranus Vedastus eius urbis Præsul sanctissimus maxime exornat. Ptolemæus Atribatios uocare uidetur. Sabellicus Enneade 6. lib. 5. sua tẽpestate magnã Picardiæ partẽ ab eis inhabitari dicit: in eorũq; ciuitate Atrebate pretiosa confici uestia. Galli Atrebates iam Arras nominant. Ambianos, quos Volateranus nũc Ambianenseis, & Sabellicus ciuitatẽ itidẽ Picardiæ limitibus cõtineri affirmat. Morinos,

Gallis

Galli (inquit idem Sabellicus) nunc horum metropolim Terruanam uocant. Menacoſpios.) mēdum in Vuolffianis, & Aldinis exemplaribus eſt: ex duabus enim dictionibus Menapios, & Bellocaſſes unam corruptam typographus fecit. Porrò Menapij ſecundum Volaterranū Iuliacenſes nūc putantur, Etſi Iucundo credimus, Gheler. ac Cleues Gallice uocantur. Bellocaſſes autem, ſeu Bellocaſſij (inquit Volaterranus) à Ptolemæo ponuntur, ubi nunc Flandria. Iidem Sabellico nūc Caſtletenſes, & Iucundo ij ſunt, quos Galli. Bayeur appellant. Calecos.) Strabo li. 4. Caletos (Sic etiā hoc loci Beroaldus legit, & infra Hirtius lib. 8. de bello Gallico: ijdemq; Gallicè à Iucundo Cales appellantur) uocat: eosq; non longè à Sequanæ oſtijs (quibus Oceanū illabitur) ſitos eſſe ſcribit. Hos Marlianus Nortmanniæ diocœſeos eſſe ait, & nomen ſuū retinere. Verocaſſes.) Alia exemplaria Volocaſſes legūt, eoſq; idē Marlianus Caſtletēſes interpretatur: quos Sabellicus Bellocaſſiū nomine ſignari putat. Verum quando Beroaldina editio, Oroſij, & Sabellici lectio ſupra poſt Menapios Bellocaſſes ponūt, & hoc loco ſiue Verocaſſiū, ſiue Velocaſſium penitus nō meminerint: eiuſdem populi nomina eſſe puto, ac librariorum incuria tranſpoſitas eſſe tum literas, tum uocem ipſam. Magis autem Beroaldini codicis ſeriem approbo: propterea quod & in Aldinis, & Vuolffianis Menacoſpios mendoſe pro Menapios hinc factum uidetur, quod ſtatim ſequitur Bellocaſſes, ſeu Velocaſſes. Veromanduos.) hos inquit Iucundus, & Marlianus Galliſca lingua nunc Vernandois appellant. Catuacos:) quos Marlianus Doacos, Sabellicus autem Sido-

acos

acos nunc uocari iudicat. Condrusos.)hos nomen suum retinere, & ad Leodiensem diocœsim pertinere Marlianus censet,& Hubertus Leodius cõfirmat. Eburones,) quos Volaterranus nimirum mendose Alodienses, quum alij omnes Leodienses interpretentur, & Galli Liegeno minari dictitent. De his,ac sequentibus populis, longe certissima legito in Huberti Eburonis doctissimis commentarijs,hac de re ex professo scriptis. Cæræsos, pæmanos,qui uno nomine Germani appellantur.) Aliæ editiones Corcesos legunt, at Eutropius nobiscum Cæræsos. Solus Marlianus Cheruscos legere uidetur. Nam in uocũ rariorum elencho Cheruscos & Pæmanos inter Belgas numerat, & Leodiensis diocœseos esse conijcit. Cuius lectio, & interpretatio si uera est, Cheruſci Bacenis syluæ apud Germanos accolæ sedibus suis relictis, in Belgium concesserunt. Huc facere uidetur quod Cæsar ipse hic addit,prænominatos populos omnes sub generali Germanorũ uocabulo cõtineri. Et paulò superius Rhemorũ legati Iulio dicunt plærosq; Belgas à Germanis ortos &c. Vnde (ut supra lib.1.admonuimus) non mirum est, si multæ dialecti nostratis reliquiæ,in semirhomana quorundem lingua reperiantur. Flumen Axonum,)quod teste Iucundo,& Marliano uulgo nunc la Disne uocatur. Atq; ibi castra posuit &c.)Quàm prudenter C. Cæsar castra metatus sit, ex præceptis Vegetij li.3.cap.8.petere,ac rescisscere potes. Nemine Bibrax,)id Iucundus Gallicè sic interpretatur Brayen la conte de Rethel. Hubertus autem Leodius illi in nomine uulgari consentiens, addit: id oppidum quatuor milliaribus Gallicis à Suessonibus distare,

diſtare, & comitatus titulo decorant. Funditores Ba-
leares,) id eſt ex Balearibus inſulis oriundos, in quibus ex
peditiſsimi funditores erant: unde & nomen Græcè ſorti-
æ ſunt ἀπὸ τῦ βάλλειν, id eſt, mittendo, uel iaciendo.

Et ad extremas foſſas caſtella conſtituit.) ſuple tumul
tuaria. Sic nanq; monet Vegetius lib. 3. cap. 9. Quod ſi
non reperitur antiqua munitio opportunis locis circunda
ta: maioribus foſsis, tumultuaria caſtella firmantur. Nam
à caſtris diminutiuo uocabulo ſunt nuncupata caſtella.

A Titurio) ſcilicet Sabino, quem ponti præſidio in altera
Axonæ fluuij ripa reliquerat. Per eorum corpora
reliquos audaciſsimè tranſire conantes &c.) Plutarchus
nonnihil ab hac Cæſaris ſententia diſſentit. Hic enim Bel
gas per ſuorum corpora in flumine ſtrata tranſire conan-
tes à Romanis repulſos eſſe dicit: ille uero Romanis tran-
ſitum eſſe factum per Belgarum cadauera. Sic enim ſcri-
bit. Belgas maxima parte turpiter dimicanteis fudit, ce-
cidit́q; : ita ut paludes, & profunda quædam flumina per
cæſorum ſtragem Rhomanis tranſitum præbuerint. Inſi-
dias ueritus. Circumſpecti Imperatoris officio Cæſar fun
ctus eſt, ſolent enim hoſtes aliquando aſtu magis quàm me
tu retrocedere: id quod (teſte Tacito lib. 1. hiſtoriarũ) Ger
manico Cæſari per quàm familiare fuit. Nouiodunum)
quod Iucundo, & Marliano expoſitoribus Noion Gallicè
iam dicitur. Caſtris munitis uineas agere &c.) Ve-
getius lib. 4. cap. 15. uineas inquit, dixerunt ueteres, quas
nunc militari, barboricóq; uſu Cauſias uocant. E lignis
leuioribus machina colligitur lata pedibus 8. & alta pedi
bus ſeptem: longa pedibus 16. Huius tectum munitione du
plici,

plici, tabulatis, cratibusq; contexitur. Latera quoq; ũmine sepiuntur, ne saxorum, telorumq; impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis, ac recentibus corijs, uel centonibus operitur. Istæ, quũ plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem: sub quibus obsidentes tuti ad subruenda penetrãt murorum fundamenta. Aggere iacto, turribusq; cõstitutis &c). Idem Vegetius in eodem loco agger, inquit, ex terra, ligniq; extollitur contra murum, de quo tela iactantur. Hæc ille. Porrò quando de turribus constitutis loquitur, nimirum innuit, ambulatorias turreis super aggerem excitatum positas esse. Eorum fines Neruij attingebant.) Tabula enim fluuius (si Ptolemæo credimus) Bellouacos à Neruijs orientem uersus disiungit. Porrò in hac Neruiorũ descriptione obseruabis, quantam animi magnitudinem frugalitas pariat, & econtra quantam mollitiem, ignauiam, & malorum agmen luxus secũ trahat. Poste aquàm enim Hannibalis exercitus uino Campano madere, ac scortis indulgere cœpit: de bellica eius uirtute actum est. Idem Romanis, & Heluetijs nostris recensioribus accidit: dum illi quidem Asiaticum, hi uero Italicum, & Gallicum in patriam inexêre luxum. Sabin flumen,) quod Iucundo, & Marliano testibus, Gallorum Vulgus nunc Sambre uocat.

Mulieres, quiq; per ætatem ad pugnam.) Infra in hoc eodem lib. ait maiores natu unà cum pueris, mulieribusq; in æstuaria, ac paludes collectos esse. Teneris arboribus incisis.) Eodem ferè modo & Mardi exercitum Alexandri prohibebant. Sic enim Q. Curtius lib. 6. de illis memoriæ prodidit. Arbores densæ sunt ex industria consitæ,

ſitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos in tortos rurſus inſerunt terræ. Inde uelut ex alia radice lætiores uirent trunci, hos quà natura fert, aduleſcere non ſinunt: quippe alium alij quaſi nexu conſerunt, qui ubi multa fronde ueſtiti ſunt, operiunt terram. Itaq; occultus nexus ramorum uelut laquei perpetua ſæpe itinera claudit &c. *Vexillum proponendum, quod erat inſigne, quum ad arma &c.)* *Plutarchus in Pompeij uita refert tunicam rubram coram contubernio poſitam apud Romanos pugnandi ſignũ fuiſſe. Quia uero & Heliogabalus in oratione ad meretrices ait, Rubrum uexillũ apud Romanos pugnæ ſignum proponi ſolitum: fieri poteſt ut ſecundum Plutarchi mentem tunica rubra uexilli uice in portica pependerit.* *Signum tuba dandum.)* *Id eſt, claſicum canendum. Cæterum quàm uaria ſignorum ſint genera uide Vegetium lib 3. cap. 5.*

Signum dandum) *ſuple teſſera, quæ (Vegetio lib. 2. cap. 7 teſte) præceptum ducis eſt: quod ad aliquod opus, uel ad bellum mouetur exercitus.* *Decucurrit.)* *Obſerua præteritum illud compoſitum contra præceptiones Grammaticorum primam uerbi ſyllabam geminare. Obſeruabis & hanc locutionem telum adijcere pro conijcere.* *Vt non modo ad inſignia accõmodanda.)* *Hinc conijcimus alia aliorum, qui ordines ducebant inſignia fuiſſe. Et ſanè ex Dionis Caſsij Traiano Nerua patet, Tribunimilitũ inſigne parazonium fuiſſe. Sic enim de Licinio Sura, in Tribunum militũ creato ſcribit. Quinetiam quum tribunatum militũ ei traderet, parazonium, quo pro dignitate accingendus erat, nudum ei porrexit. At talem inquẽ*

enſem

enſem accipe, quem pro me ita demum ſtrinxeris, ſi iuſte imperauero: quod ſi perperã quid per me fieri cognoueris, eo in pernitiem meam utaris uelim. Ita & Euſebius lib. 7. hiſto. ecc. quam Tripartitam uocant, cap. 1. de Iouiniano χιλιάρχῳ, id eſt, Tribuno militum refert: quod magis elegerit baltheum ſuum ammittere, quàm impijs Iuliani Imperatoris ſui præceptis in ſacrificando idolis, parere.

Eiuſq; armaturæ pedites &c.) Leuis armatura (ut Vegetius cap. 14. lib. 3. ait) exſcutatis expeditiſsimis, & ſagittarijs iunioribus conſtabat: item de his, qui acriter uerutis, uel martiobarbulis (quas plumbatas uocant dimicabant. Sunt autem ſcutati (eodem Vegetio definitore lib. 2. ca. 16) qui plũbatis, uel gladijs, & miſsilibus accincti erãt.

Qui ab decumana porta.) Ea (ut idem Vegetius lib. 1. cap. 23. teſtatur) poſt prætoriam portam ſita erat: per quã delinquentes milites ad pœnam educebãtur. Fuge ſeſe mandabant.) Attende noſtrorum copiam in Cæſare. Paulò enim ante, conijcere ſe in fugam, & petere fugam, nunc fugæ ſe mandare dicit. In his primipilo.) Liuius lib. 8. ab urbe condita refert, primum centurionem ſua tempeſtate primipilum uocatum. Qui huic hauddubie (ut ego quidem ſentio) nomen ſumpſit, quod antiquitus ſignũ pilo, hoc eſt, haſtæ infigeretur: id quod uel ex iſto Ouidij diſticho lib. 3. Faſtorum clareſcit:

Pertica *ſuſpenſos portabat longa maniplos,*
Inde maniplaris nomina miles habet.

Quod uero primipili officium fuerit, eundem Vegetium lib. 2. cap. 8. conſule. Et manipulos laxare.) Idem Vegetius li. 2. ca. 13. Contubernium, inquit, manipulus uocabitur

cabatur ab eo, quod coniunctis manibus dimicabant. Plutarchus uero aliam huius uocis etymologiam in Romulo hisce ostendit uerbis: Ἑκατοσείας ἑκάστης ἀνὴρ ἀφηγεῖτο, Χόρτου, καὶ ὕλης ἀγκαλίδα κοντῷ περικειμένην ἀνέχων, μάνιπλα ταῦτα Λατῖνοι καλοῦσι: ἀπ' ἐκείνου δὲ καὶ νῦν ἐν τοῖς στρατεύμασι τούτους μανιπλαρίους ὀνομάζουσι. Idest, singulas centurias uir ducebat, graminis, ac herbarum fasciculum (quem Latini manipulum uocant) conto impositum sustinens. Vnde & nũc in exercitu hos maniplares uocãt.

Huius aduentu spe illata militibus.) His consentanea Plutarchus & Suetonius in Iulio, & Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. scribunt. *Ex sexcentis ad treis senatores.)* Plutarchus duntaxat quadringentos patritij ordinis fuisse Neruijs ante calamitatem commemorat: in reliquis cum Cæsaris numero consentit. Florus autem lib. Epitomes 104. in utróq; numero à Cæsare dissentit. Ex sexaginta enim hominum millibus non quingentos, sed trecentos, & non ex sexcentis senatoribus, sed ex 95 duntaxat treis superfuisse scribit. *Vt in miseros, ac suppices &c.)* Ad hunc modum Ci. lib. 1. Off. docet, post partam uictoriam ijs parcendum esse, qui nõ crudeles in bello, nec immanes fuerunt. Quæ sanè uirtus Cæsari (ut in Præfatione quoq; attigimus) propria, ac peculiaris fuit. *Aduatici, de quibus supra)* scilicet in hoc eodem lib. Porrò ijdem nunc Gallicè Bosleduc, & Bosleducenses admonitoribus Iucundo, & Marliano dicũtur. Quorum hunc in Annotationum suarum indice legito, de quo nam Aduaticorum oppido ueriſimile sit Cæsarem hic loqui. Hubertus autẽ Leodius haud longe isthinc oriundus Galliæ Brabantiæ populos

fuisse autumat: qui inter Louanum, & Aldenburg habitant. Sectionem eius Oppidi uniuersam &c.) Asconius Pedianus in li. 3. Ci. de Prætura urbana, scribit: Sectorem esse æstimatorem, redemptoremq; bonorum damnati, atq; proscripti: qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ bona omnia auctione uendit, & semel infert pecuniã uel ærario, uel socijs. Hæc ille. Vnde facile colligere possumus, sectionẽ oppidi uniuersam nihil aliud esse, q̃ redemptionem, ac æstimationẽ: quo pacto antiquitus, & adhuc apud Hungaros uectigalia, & apud nos decimæ per auctionem redimuntur. Venetos, Vnellos.) Veneti Vanes, Vnelli Percherons, Osini Lannadriger en Bertegne, Curiosolites Cornauaille, Sesuuij, aut (ut quædã exemplaria habent) Sesuini, Exisini: Aulerci Roan, ac Rhedones Rhenes nunc Gallicè uocantur si Iucundo, & Marliano credimus. Porrò hi populi omnes Galliã Lugdunensem (quæ & Celtica dicitur) incolunt. De quibus uide; Europæ tabulam apud Ptolemæum, & Volaterranum lib. 3. Geographiæ. Illyricumq; proprabat.) De Illyrico (quæ nunc Sclauonia appellatur) lege Plin. lib. 3. cap. 2. & Volaterranũ lib. 8. Geographiæ. Quintam deniq; Europæ picturam Ptolemaicam in consilium adhibe. Carnutes &c.) nunc Chartres, Andes.) Angiers, & Turones.) Tours appellãtur in sua lingua. Porrò & hi populi in eodem Gallorum Lugdinensi habitant, & sunt Parisijs, ac Triecasijs finitimi: ut ex eiusdem Ptolemæi pictura planum fit.

Propinquæ his locis erant.) nempe Suessonibus, Atrebatibus, Bellouacis, Neruijs, & Aduaticis. De qua re cõsule

sule præcitatam modò Ptolemæi tabulam. Dies XV supplicatio decreta est.)Plutarchus eadem his confirmat uerbis: Hæc ubi senatui renuntiata sunt, per sacrificia, indictasq; solennitates quindecim dierũ supplicatio (quantum ulla in uictoria nunquàm superiori tempore obtigerat) dijs immortalibus decreta est. Et Suetonius plurium inquit, quàm quisquam unquam dierum supplicationes impetrauit. Quibus autẽ modis supplicationes (quas nos uulgò rogationes uocamus) apud priscos Romanos fieri solitæ sint, legito Liuium lib. 2. Secundi belli Punici non procul ab initio.

ARGVMENTVM LIB. III. DE BELLO GALLICO.

Quinq; bella hoc libro describit. Primum terrestre, quod Galba Legatus eius aduersum Veragros, & Seduos gessit. Secundum nauale, quod P. Crassus contra Venetos Gallos. Tertium quod à Q. Titurio Sabino aduersus Vnellos, Aulercos, Eburonices, Lexouios q; gestum est. Quartum contra Sontiates, & reliquos Aquitanos ab eodem Crasso (de quo supra) administratum. Quintum aduersus Morinos, Menapios q; ab ipsomet Cæsare gestum.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM III.

Io. Rhellicani Annotationes.

NANTVATES', *Veragros, Sedunośq; misit.*) *Plinius lib. 3. cap. 20, & Strabo lib. 4. pro Antuates, Naniuates, & Nantuates legunt, & pro Veragros uterq; Varagros. Volaterranus Varagros in montibus S. Bernhardi sitas esse putat: ubi S. Mauritij cœnobium gentis caput in Sedunensi diœcœsi positũ est. Atq; per hos Cæsarem in Gallias penetrasse. Sed Tschudus proconsul noster, rectius (quippe qui hæc loca peragrauit) per Antuates eum in Sabaudia tractũ intelligit: qui Bernatiũ nunc est, & Gallicè pais de Vaut, et Germanica deflectione die Vuaat appellatur. per Veragros autem Valleſios inferiores, quorum metropolis olim Octodorus, nunc Martenacum dicitur. Per Sedunos Valleſios ſuperiores, quorum metropolis Sedunum, Sabaudica lingua, Seon, & noſtra Sitten uocatur.* Qui à finibus *Allobrogum, & lacu Lemano &c.*) *Situs iſtorum populorum in noua Galliæ apud Ptolemæum, & Tſchudi Procõſulis tabula depictus est. Cæterum quando inter recentiores eruditos alius aliter de uarijs alpiũ nominibus ſentit: Procõſuli noſtro libẽtius hac in re ſubſcripſero q̃ uel Volaterrano, uel Alcia-*

10. Hi nanq; hæc loca rumore tantũ cognita habuerũt, illæ uero ſuis uidit oculis. Apud hunc ergo non indigna lectu de ſummis alpibus legito in Alpinæ Rhetiæ commentario ca. 33. Nam ad hũc Cæſaris locũ probe intelligendũ multũ facit. Non parum etiam ad hunc eundem locum rectius intelligendum Rhenani annotationes lib. 3. Rerum Ger. in Agauni deſcriptione te iuuerint. In uico Veragrorũ, qui appellatur Octodorus.) Volaterranus, & Marlianus hunc uicũ iam S. Mauritij ab accolis uocari dicũt: ſed Rhenanus, & Proconſul noſter Martenacũ rectius interpretantur. Qua de re utrunq; copioſius differentẽ legito.

Et ea loca finitimæ prouintiæ adiun.) Quàm propinqui Veragrorum fines Rhomanorum prouintiæ ſint, noſtram Galliæ apud Ptolemæũ, & Proconſulis noſtri tabulam Helueticam conſpicito. In flumine Ligeri, quod influit.) Hoc flumen Gallice nũc Loire uocatur, oritur q; ex Cemmenis montibus, & Galliam Lugdinenſem ab Aquitanica diſiungit. Oceanum autem intrat ut Cæſar ipſe hic ſcribit, & in 3 Europæ tabula patet. Ac longe aliã eſſe nauigationem in inter cluſo mari, atq; in uaſtiſsimo.) Mare Mediterraneum ideo intercluſum uocare uidetur, quòd multis inſulis intercludatur. Oceanum autem uaſtũ, & apertum, propter magnitudinem, ac inſularum paucitatem. Qua de re & 3, & 6 Europæ tabulam apud Ptolemæum conſulito. Socios ſibi ad id bellum Oſiſinos, Lexob.) Oſiſini, Lexobij, Nannetes, Ambiliates, & Diablintres maritimi Celticæ Galliæ populi ſunt: ut teſtatur Volateranus li. 3. Geographiæ, & 3 Europæ tabula haud obſcure præſefert. Morini autem, & Menapij Belgicæ. De

Osisinis, Morinis, & Menapijs satis dictum est, nisi quod ad confirmandã superius Iucundi sententiã de Menapijs hoc facit, quod D. Andreas Alciatus prudẽtissimus Iuris consultus in Annotationibus suis super 12 Cornelij Taciti librum asserit: eos Gelrhenseis quasi Gallos Rhenenseis dictos esse. Porro Lexobij nunc iuxta Iucundi, & Marliani interpretationem Liesieux, Nannetes Nantes: Ambilates (sic enim legitur à Marliano) Daurãches: Diablintres Leon doul en Bertegne à Gallis uocantur.

Quæ contra eas regiones posita est.) Quo pacto eregione prædictorũ populorum Britannia posita sit 1 & 3 Europæ picturam uisitando cognosces. Erant hæ difficultates belli gerẽdi.) Quod scilicet Veneti omniũ gentium quæ Oceanum accolebant, potentissimi erant: quàm plurimas naueis habebant, & rei nauticæ peritissimi erant. Deniq; quod uicinas genteis omneis authoritate, ac potentia in suam pertrahebant sententiam. Ne ex his nationibus auxilia in Galliã mittant.) Per Galliã & hic Celticã (quæ & Lugdunensis dicitur) intellige. Nam tametsi & Aquitania Galliæ pars sit, tamen Celtica (in qua Veneti, & alij prænominati populi, qui à Cæsare defecerant habitabant) proprie à Cæsare sic nominatur. Id quod ex initio lib. 1. constat, ubi tertiam Galliæ partem esse scribit: qui ipsorum lingua Celtæ, sed à Romanis Galli uocentur. Et paulò post Celticæ limites depingens, inquit: Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit. Quas ex Pictonibus, & Santonis.) Ptolemæus hos in 3 Europæ tabula inter Aquitanos maritimos ponit. Volaterranus lib. 3. Geographiæ in Aquitanica

nica descriptione Pictones nunc Pictauẽseis nominari dicit: atq; ex quatuor Aquitanorum comitatibus unum obtinere. Santones uero (quos Ptolemæus, & ipse Sanctones uocant) priscum suum retinere nomen. Si autem Iucundo credimus, illi nunc Poitiers, hi uero Saintonge Gallis (ut supra lib. 1. annotauimus) nuncupantur. Vt posita in extremis Lingulis.) Lingula (interpretante Sexto Pompeio) inter alia significata, promontorij quoq; genus non excellentis, sed molliter in planum deuexi significat. Promontorium autem quasi prominens mons dicitur.

Quum ex alto se æstus incitauisset.) Plinius lib. 2. cap. 101. omnia maria se in plenilunio purgare scribit: & quædam stato tempore. Quæ autẽ marinæ exæstuationis causa sit, idem in eodem lib. cap. 99. hisce ostendit uerbis. Pluribus modis exæstuatio fit: uerum causa potissima in sole, Lunáq;. Bis inter duos exortus Lunæ affluũt maria, et refluũt uicenis, quaternisq; semper horis. Inter alia aũt maria Oceanum uel maximè intumescere, idem in eodem ca. paulò post in hæc uerba edisserit: Omneis æstus in Oceano maiora integunt spatia, inundantq;, q̃ in reliquo mari: siue quia totum in uniuersitate animosius est, quàm in parte: siue quia magnitudo aperta syderis uim laxe grassantis efficatius sentit, eandem angustijs uincentibus. Eius rei exemplum infra lib. 4. habetur, & Q. Curtius sub finem lib. 9. similem Indici Oceani exæstuationem describit.

Factæ ex robore &c.) Robur glandifera arbor est, quæ (Plinio lib. 16. cap. 25. testante) sinuosa toto ambitu folia habet. Tantæ item duriciei est (uelut idem eodem lib. cap. 41. testatur) ut terebrari, nisi madefacta nequeat, & ne

sic quidem adactus auelli clauus. Eiusdem arboris lignũ tardissimè cariem sentire paulò post in eodem ca. docet.

Falces præacutæ insertæ &c.) Vegetius *lib. 4. cap. 14. & ultimo: Falx, inquit, dicitur acutissimũ ferrũ, curuatũ ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatoribus funes (quibus antemna suspenditur) repente præcidit: collapsisq; uelis Liburnam pigriorem, ac inutilem reddit. Porrò quantum ex iam citatis Vegetij uerbis patet, Cæsar per longurios intelligit contos, quos Nonius Marcellus, & alij longuriones uocant, & homines quoq; prælongos ita uocitant. Non absimili forma muraliũ falcium.)* Quæ forma sit *muralium falcium ex eodem Vegetij lib. cap. 14. intelligi potest, ubi sic ait: De materia & tabulatis testudo contexitur: quæ ne exuratur incẽdio, coriijs, uel cilicijs, centonibusq; uestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro: quod falx uocatur, ab eo quod incuruata est, ut de muro extrahat lapides. Tanta subito malacia.)* Græca uox est μαλακία *molliciem, & languorẽ significans. Qua uoce & Germani utuntur pro lepra. Significat & Suida teste* ῥᾳθυμίαν, *quæ uox aliâs segnitiem & torporem denotat. Apud Thucydidem autem lib. 2. in funebri Periclis oratione, sicuti & hic pro quiete in bonam accipitur partem. Cæterum nemini mirum uideri debet, quod Cæsar Græca usus est uoce, quum & Virgilius in loco usus sit, & prisci Latini (teste Macrobio lib. 6. Satur: cap. 4) Pausam, machæram, acotiam, malacem & alia multa dixerint. Reliquos sub corona uendidit.)* Quid *sub corona uendere significet,* Gellius *lib. 7. cap. 4. ad hunc modum ex Sabino Iurisconsulto*

consulto edisserit. Antiquitus mancipia iure belli capta, coronis inducta uenibant, & idcirco dicebantur sub coronis uenire. Nanq; ut ea corona signũ erat captiuorũ uenalium, ita pileus impositus demõstrabat eiusmodi seruos uenundari, quorum nomine uenditor emptori nihil præstaret. Subiungit & alteram eius appellationis causam eodẽ cap. sed tamen priorem ex Catonis lib. de re militari, magis appositam esse putat. Legato dimicandum non existimabat.) Quanta diligentia res militaris apud Rho. priscos culta sit, cum hic locus, tum is, qui est apud Liuiũ li. 8. ab urbe condita docet. Ibi nanq; legitur Fabium Papyrij dictatoris magistrum equitum penè securi percussum: quod contra eius edictũ cum Samnitibus (quanquam feliciter) pugnauisset. Idem nos & Manlij illius imperiosi exemplum monet: de quo idem Liuius, & Valerius Maximus. Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer.) Eadem refert Liuius lib. 10. ab urbe con. Gallorum uidelicet corpora laboris, æstusq; intolerantissima esse: ac prima eorum prælia plusquàm uirorum, postrema minus quàm feminarum esse. Eadem quoq; fermè lib. 4. belli Macedonici sub finẽ de ijsdem narrat. Labor, inquit, & æstus emollida, & fluida corpora Gallorum, ac minimè patientia sitis, pugna decedere coẽgerũt. Hactenus ille. Cæterũ si quis ueterem armorum Gallicorum formam scire cupit, Polybius eam lib. 2. ita describit: Galli, inquit, gladijs prælongis, sed obtusis, ac non nisi ad unicam plagam inferendam utilibus, & è diuerso breuibus, ac exilibus scutis utuntur. Huc usq; ille. Quod ideo coronidis uice potissimũ addere uisum est, quod recentiores Heluetij (quos confœderatos

deratos uocamus) itidem longis utãtur gladijs: ut uero nõ dissimile sit, Gallicorum Heluetiorũ hunc morem ad Germanicos defluxisse. Alij nanq; Germani breuioribus, & latioribus ensibus utuntur: ut à nostris facile dinoscantur. Qui sanè mos hodie non tantum Heluetijs, uerumetiam alijs priscorum uallorũ successoribus frequentissimus est.

Quæ sunt ciuitates Galliæ prouintiæ finit.) Finitimæ scilicet Aquitaniæ. Cemmenij nanq; montes Aquitanicã Galliam à Narbonensi disiungunt: quemadmodum ex Europæ tabula apud Ptolemæum patefit. Crassus ex itinere oppidum Sontiatum &c.) Ex itinere, id est obiter. Porrò Sabellicus oppidũ hoc (quod tamen non nominat) caput gentis Sontiatum esse scribit. Aliâs cuniculis ad aggerem &c.) Quis primus cuniculorum agendorum rationem inuenerit, Vegetius lib. 4. cap. 20. hisce uerbis describit: Quum Rhodiorum, inquit, ciuitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria super murorum altitudinem, ac turrium omnium pararetur: mechanici ingenio inuentum est tale remedium. Per noctem sub fundamento muri cuniculum fodit, & illum, ad quem die postero turris fuerat promouenda, nullo hostium sentiente, egesta terra cauauit intrinsecus, & quum rotis suis moles impulsa fuisset tanto pondere solo cedente subsedit: ut nec iungi muris, aut moueri ulterius potuerit, ita ciuitas liberata est, deiectaq; machina. In fines Vocontiorum, & Tarusatum.) Mendam in dictione Vocontiorum esse tres euidentes coniecturæ coarguũt. Quum enim Vocontij Narbonensis interioris Galliæ populi sint, & longissimè à Tarusatibus Aquitanis distent: uero simile non est, à

Crasso

Crassoexercitum tam longè distractum. Deinde non tantum Beroaldus, uerumetiam Sabellicus pro Vocontiorũ Vocatum legit. Deniq; ipse Cæsar infra in hoc eodem libro Tarusatibus Vocates coniungit. Porrò Volaterranus pro Tarsatibus Taruisatios, Iucundus, & Marlianus Tarusatios legunt, atq; nunc Tursas uocari opinantur.

Quæ sunt citerioris Hispaniæ finitimæ.) Pyrenæi nanq; montes Aquitaniam à citeriori Hispania distermi-nant: ut ex 3 Europæ tabula clarescit, & supra lib. 1. nonnihil attigimus. Cum Q. Sertorio.) De quo consule Plutarchi uitas, & Appianum lib. 1. de bellis ciuilibus.

Cantrabrisq; uenissent.) Cantabri populi sunt Hispaniæ Tarraconensis, id quod ex 2 li. Melæ, & ex 2 Europæ tabula apud, Ptolemæum discimus. Tarbelli.) hi, Volaterrano lib. 3. Geographiæ attestante, nunc Tarienses uocantur, & ad Aturi fluminis ostia habitant. Bigerriones.) Iam Bigerrenses, ubi castrum Bigerram in Vasconia esse dicunt. Flustates,) Volaterranus Flussatet legit, addens sua adhuc tempestate Comites isthic fuisse: qui de Flusso uocarentur. Garites,) quos idem nũc Lectorienseis uocari existimat. Ausci.) nunc Auscitani, unde & tractui eius regionis nomen inditum. Paucæ ultimæ nationes.) ſuple ad Pyrenæos montes uergentes: ut est Lugdunensis colonia, Ruteni, & Segadunum. Quod hyems suberat.) Cæsar inferius lib. 5. affirmat, nullũ ferè tẽpus hyemis interceſsisse, quin aliqui ex uictis Gallis rebellionem adornarent: nimirum ob hanc causam, quod ipsi homines Septẽtrionales frigoribus magis sueti essent, quàm Romani meridionales: ideoq; ad bellum hyberno

tempore

tempore gerendum accõmodatiores, ut Cæsar ipse memi-
nit. Infra lib. 4. de bello Gallico. Morini, Menapiĳ &.)
Quintum bellum istius libri, & ultimum describit. Porrò
quia supra & hos, & sequentes populos enarrauimus: nihil
sub finem istius libri annotandum puto amplius, nisi uni-
cam istam locutionem non ubiuis obuiam, uidelicet face-
re bellum pro inferre.

ARGVMENTVM LIB. IIII. DE BELLO GALLICO.

Quæ fuerit causa Vsipedibus, ac Tencteris transeun-
di Rhenum, & cur cum eis bellum gesserit principio re-
censet. Deinde quibus de causis ipse Rhenum ponte facto
traiecerit, & cum Sicambris belligeratus sit. Tertiò quid
ipsum mouerit, ut Britanniam adiret: atq; cum eiusdem in
colis & nauali, & terrestri pugna decertaret. Vbi & insu-
læ situm, ac insulanorum mores describit. Postre-
mo Morinorum defectionem, ac uictoriam
de eisdem partam subnectit.

IN C. IVLII CAESARIS
COMMENTARIORVM DE
BELLO GALLICO LIBRVM IIII.
Io. Rhellicani Annotationes.

SIPETES GERMANI & item Tenchtheri &c.) Authores in his duobus populis nominandis mirè uariant. Quos enim Cæsar hic Vsipetes, & Tenchtheros, Appianus Sypetes, & Tancheros appellat. Beroaldus, & Sabellicus pro Tenchtheris Tenchateros legunt. Tacitus Vsipios in secunda inflectit declinatione. In Latinæ Plutarchi tralatione etiam recens à multis mendis purgata, sensus (meo iuditio) nõdum est redditus, ubi sic legitur Duo maximi populi Germanorum (quos & Tenteridas appellant.) Græcũ enim Aldi, & Basiliense exemplar sic habet: οὓς ἴπας καλοῦσι τοὺς ἑτέρους, τοὺς δὲ τευτρίδας. Vbi mea sentia pro οὓς ἴπας, Ουσίπας una dictione, & tenui spũ ritu legendũ esset. Sic enim rectius Plutarchi uerba cum hoc Cæsaris (quem ille haud dubie secutus est) loco quadrabunt, si uertas ad hunc modum: Duo populi Germanorum Rhenũ transgressi sunt, alteros Vsipes, alteros Tenteridas uocãt. Porrò Tacitus de Situ, & moribus Germanorum Vsipios, ac Tencteros Cattis (quos nunc Hessos uocant) uicinos esse affirmat. Cuius sententiæ Rhenanus,

Pyrchio

Pyrcheimerus, ac Iucundus ſubſcribunt. Ille nanq; lib. 1. Rerum Germanicarum ait, Francos ad Rhenum in Tencteros, iuxta Chamauos, Veteres illas Sicambrorum ſedes, uſq; ad Mœnum amnem, & Salam conceſsiſſe, etiam Cattorũ locis occupatis. Hi uero Tengeros (ſic enim Pyrcheimerus legit) & Vſipetes inter Rhenum, & montes, ubi hodie pars Haſsiæ cum Rheno coniungitur, dicta der hochrug, ditiones comitum de Nauſſau, Konigſtein &c. Francofordiam uſq; occupaſſe ſcribunt. Sueuorum gens eſt longe maxima &c.) Iulianæ ſententiæ cum Cornelius Tacitus, tum Paulus Oroſius accedit. Ille nanq; in libello De ſitu, ac moribus Germanorum ait, Sueuorũ non unam eſſe gentem, ut Cattorum, Tenctterorũmue: ſed maiorem Germaniæ partem ab eis inhabitari proprijs nationibus, ac nominibus diſcretis. Hic uero li. 1. Quinquaginta quatuor eorum gentes fuiſſe ſcribit. Vnde non mirum eſt centũ pagis illos quoq; habitaſſe, ut Cæſar hic paulo poſt meminit. Lauentur in fluminibus.) Infra lib. 6. Omnibus Germanis in more fuiſſe ſcribit, promiſcuè in fluminibus perlui. Et Pomponius Mela lib. 3. Geographiæ eoſdem magno natandi ſtudio etiam ſæuiſsima hyeme detentos eſſe perhibet. Quàm latiſsime à ſuis finibus uocare agros.) Idem Mela eadem de Germanis omnibus in commune aſſerit, dicens, eos bella cum finitimis gerere, & cauſas eorum ex libidine accerſere: neq; imperitandi, prolatandiq; quæ poſsident. Nam, inquit, ne illa quidem enixe colunt, ſed ut circa ipſos, quæ iacent, uaſta ſint.

Succedunt Vbij.) Qui nunc Agrippinenſes ſeu Colonienſes, olim uocabantur; antequam relicta Germanica Rheni

Rheni ripa in Gallicam transmigrarunt. De qua re plura legito apud Beatum Rhenanum lib. 1. Rerum Germanicarum. Atq; auditionibus.) ταῖς ἀκοαῖς, *Græca, Hebræa, & Germanica loquendi forma, Cæsar hic usus est: declarans, quid per rumores intelligat. Quaspe adducti Germani.)* *suple Vsipetes, & Tencteri. In fines Eburonum, & Cõdrusonum.)* *De Eburonibus supra lib. 2. diximus. De Condrusonibus uero nihil apud quenquàm inuenio præterquàm Marlianum: qui eos nomen retinere, ac diocœsis Leodiensis esse dicit: ducatui Luceburgensi, comitatui Namurcẽsi, ac Mosæ fluuio finitimos. Secundum quam descriptionem prorsus ijdẽ populi sunt, quos infra lib. 6. in 2 inflexione Condrusos uocat. Non rarum autem est Cæsari nominis inflexionem (præsertim in barbaris) uariare: ut & in uoce Teutonus, & Teuto fecit. Porrò de Condrusis planiorem uideto inferius explanationem in lib. iam citato. Ad Ambiuaritos trans Mosam.)* *Ambiuariti nunc Brabantini à Iucundo, & Marliano esse putantur. Quæ appellatur Vacalos.)* *Alia exemplaria Vualis legunt, & ita propemodum apud Cornelium Tacitum legitur. Sic enim lib. 2. historiarum hanc Rheni partem describit. Rhenus alueo continuus haud (ita nanq; legendum existimo) modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui, uelut in duos amneis diuidit, seruatq; nomen, & uiolentiam cursus quâ Germaniam præteruehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior, & placidior adfluens, uerso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoq; uocabulum mutat, Mosa flumine, eiusq; immenso ore eundem in Oceanum effunditur.*

Hæc

Hæc ille. Vnde coniectura assequor istam Rheni partem ideo à Germanis Vahalen, siue Vualem uocitatam: quod Vuali, hoc est Galli ulteriorem, & latiorem partem incolerent. Siquidem in nostrate lingua Gallos, Hispanos, & Italos etiamnum Vualos nuncupamus. Quod sanè τεκμήριον etiam ad superiorem nostram sententiam roborandam fecit: nimirum quod Gallica lingua ut nunc, ita & olim Iulij Cæsaris tempestate à Germanica diuersa fuerit penitus. *Insulam efficit Batauorum.*) Idem Cornelius Tacitus lib. 20. historiæ Augustæ originem, & situm & fortitudinem Batauorum hisce commemorat uerbis: Batani donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ uacua cultoribus, simulq; insulam inter uada sitam occupauere: quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum, ac latera circumluit. Nec opibus Romanis societate ualidiorũ attriti, uiros tantum, armaq; imperio mĩistrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox per Britanniam gloria transmissis illuc cohortibus, quas uetere instituto nobilissimi populariũ regebant. Hactenus Cornelius. Cæterum Batani nunc Hollandi uocantur, ex quibus uir incomparabilis, ac totius nostræ Germaniæ lumẽ Desiderius ille Erasmus Roterodamus ortum trahit. De quo legito plura ĩm Chiliadibus ipsius in prouerbio Auris Bataua.*

Rhenus autem oritur ex Lepontijs, qui alpeis.) Tschudus proconsul noster, duos diuersos Rheni fontes commemorat, priorem, & posteriorem, quorum riui in unum confluãt supra Curiam Rhetorum spatio milliarij Germanici. Et huius quidem tractu Aetuarios, Rhinualdenseis,

seis, Schäseros, Tusis, & Rætzuns habitare. In illius uero Tauetscheros, Abbatiã Diserntis, Trans, Ilantz, Grub, Flymss, & Vallem Lugnitiam sitos esse. Idem de Lepontijs ita scriptum reliquit: Lepontij tenent summa alpium iuga cum adiacentibus uallibus, siti inter Heluetios, Sedunos, Salassos, Insubres, & Rhetos, citra, & ultra alpiũ monteis. Porrò quia non tantum Cæsar hic Rhenum per Nantuatium, Sequanorum, ac Mediomatricum fines labi dicit, uerumetiam Strabo lib. 4. eadem asserit: magnus scrupulus restat, qui nam fieri queat, ut Rhenus per tam longe (si Ptolemæo credimus) disitos fines fluat. Eum itaq; Beatus Rhenanus ad hunc modum lib. 1. Rerũ Ger. sustulit. Sequanorum ditio olim usq; ad Rhenum pertingebat, ut & Mediomatricum, ac Treuirorum. Hinc Iulius Cæsar scribit Rhenum fluere per fineis Sequanorum, Basiliensem diocœsim, & Sungauiam intelligens. Et lib. 3. Porrò nihil dubitationis habeo Mediomatricorum ditionem olim Rhenum attigisse, ut intelligamus Nemetum fortassis, aut etiam Vangionũ fines partim illis fuisse subiectos, nimirum quum ualidiores essent res Gallorum, & priusquam Germania prima, & secunda ad ripam Rheni in Gallia constituerentur, id quod post Iulium Cæsarem factum est. Tribucorum.) Eosdem hic populos innuere uidetur, quos supra Triboces appellauit. In plureis defluit parteis.) Plinius lib. 4. cap. 15. huic Cæsaris loco ita subscribit, eumq; illustrat. In Rheno autem ipso propè centum M. passuum in longitudinem nobilissima Batauorum insula, & Cannenufatum, & aliæ Phrysiorum, Canachorum, Frisiabonum, Sturiorum, Morsatiorum, quæ ster

nuntur inter Helinum, ac Fleuum. Ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alueum. Vide 3, & 4 Europæ tabulam apud Ptolemæum. Atq; is dies inducijs erat ab ijs petitus.) Gellius lib. 2. cap. 25. hanc uocem ita explicat: Inducias sic dictas arbitramur, quasi tu dicas, inde uti iam. Pactum indutiarum eiusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilq; incommodi detur: sed ex eo die postea uti iam omnia belli iure agantur, & reliqua. Nam qui uolet, totum caput legat, Simul ut dicebatur.) Græca dicendi forma est, simul, simul, pro cũ, tum, uel tum, tum. Et cum ad confluentem Mosæ, ac Rheni.) Hunc locum uulgus nostrate etiamnum corrupto uocabulo Cobulentz, quasi dicas Confluens, uocat. In fines Sicambrorum receperat.) Volaterranus lib. 5. Geographiæ, & Sabellicus Sicambros Gelrhẽseis nunc uocari existimant: quũ tamẽ (ut supra li. 3. annotauimus) Iucundus, & Alciatus Menapios hoc nomine apellitẽt. Quorum sententia mihi magis arridet, eo quod Gelrhia in Gallica Rheni ripa posita sit, & Cæsar Sicrãbros in Germanica ponat. Cui Strabo assentiens, ait. Post Menapios, qui utranq; Rheni ripam in colunt, Sicambri Germani consistunt. Cæterum hoc fortasis Volaterranum, & Sabellicum mouit, ut Sicambros Gelrhenses interpretarentur: quod Cornelius Tacitus lib. 12. historiarum asserit, eos à Romanis, excisos, ac in Gallias translatos esse. Item quod Suetonius in Augusto refert Sycambros se dedentes in Galliam traductos. Vnde & fieri potuit, ut quidam inter Menapios consederint, & nunc una

uoce Gelrhenſes uocentur. At quum Cæſar hoc loci ſcri bat, Rheno tranſmiſſo, ſe in fines Sicambrorum profe ctum, & Strabo, ac Ptolemæus in 4 Europæ tabula eos adhuc Germaniæ magnæ populum aſſerant: Iucundus (ut mihi quidem uidetur) rectius eos intelligit, qui nunc principi de Nauſo parēt. Quanquàm nō ſim neſcius Her mannū uerè nobilem illum Comitem Neuenariū ſentire Francos antiquitus Sycambros eſſe dictos. Omnium aūt rectiſsimè (ἄτε ἀυτόπ]ης) ſentire uidetur Io. Pollius Bil ueldanus poëta lepidiſsimus, qui eos duci Gelrhienſi Vil elmo ſubditos ad hunc canit modū: En tibi bellaces gau dent parere Sicambri, Te obſeruant Bataui, Menapiiq; ſimul. Deniq; ne quem uſquàm ſua defraudem laude, Hu bertus ille Leodius, illorum ἔτυμον Germanicum, originē ac loci ſitū ita deſcribit: Sycambri Menapiorum regionē occupant, & Germanos indigites fuiſſe nomine ipſo de præhenditur, Germanicè enim Sygenberger appellaban tur. Vnde & Sycambri in uetuſtis codicibus ſcriptum reperitur. Habitarunt ad alteram Rheni ripam, paululū infra Vbios, & ad Ruram fluuiū: qui apud Dusburgum Rheno miſcetur &c. Nam qui uolet totum illius locum le gere poteſt. Itaq; & ſi ſumma difficultas faciundi pont.) Hoc quod Cæſar de ſe hic prædicat, Suetonius, & Plutarchus confirmant. Ille quidem ad hunc modū: Ger manos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus. Hic uero ſic: Cæſar occaſionem nactus, quum alioquin gloriæ cupiditate duceretur, quod primus omnium Rhenum ex ercitu traiecisſet, pontem inſtruxit &c. Tigna bina

ſeſquipedalia.)ſupple in latitudinem. Nam dimenſionem longitudinis mox innuit, dicens: Dimenſa ad fluminis altitudinem: hoc eſt tantæ longitudinis, quantum fluminis altitudo poſtulabat. Non ſublicæ modo directa.)modo id eſt, more ſublicæ, ad quem modum & Liuius ſæpe loquitur: ut modo Latrocinij, id eſt, in modum. Nam Cæſar hoc ſignificare uult, pontem hunc non ad eum modum directè ſtructũ fuiſſe, quo alij, uelut pons ſublicius: unde Horatius Cocles Hetruſcorum manum propulſauit, teſtante eodem Liuio lib. 2. ab urbe condita. Contra uim, atq; impetum fluminis.) Eandem rationẽ & Plutarchus hiſce uerbis affert. Quum trunci, ac ligna fluuio delata ingenteis ictus operi infligerent, ad eos excipiendos, uimq; flaminis refrenandam, Cæſar in ſuperiori parti maximas coniugatas trabes præfixit. Diebus decem, quibus materia cœpta erat &c.) Plutarchus ijs, quæ modò citauimus, hoc ſubiungit, & hæc Cæſaris uerba ita corroborat. Incredibile ſpacium præbuit, intra decimum diem ponte perfecto. In Britanniam proficiſci.) Hæc inſula à Ptolemæo, ac reliquis ueteribus Albion uocatur. Vnde uero Anglia à recentioribus ſit appellata: partim ex Rhenano partim ex Volaterrano diſcere poſſumus. Ille ergo ſic li. 1. Rerũ Germanicarũ ſcribit: Britanni tot iam annis à piratis uexati, quũ nulla ſupereſſet ſpes ullius à Romanis auxilij, iamq; hoſtes inſulæ partem occupaſſent: cogitant de Saxonibus conducendis, quorum præſidio occupatores iſtos Actacottos, Pictos, & Scotos exturbare poſſent. Aduehitur igitur cum innumera multitudine per legatos accitus Vortigernus Anglorũ (hoc nationi nomen erat) regulus.

Iamq;

Iam'q; uictoriam aduersus hosteis sperabant, nec infeliciter res procedebat, quum à defensoribus amœnæ insulæ, & diuitis amore captis, consilium occultum initur de inuadendo illius imperio, prætexunt itaq; stipendia non soluta, sicq; nato tumultu, facillime summa rerum potiũtur. Hæc ille. Hic uero lib. 3. Geographiæ ab illo non nihil uariat, sic scribens: Constans Constantij regis filius se primũ Deo, cœnobioq; dicans, mox regnum repetens à Vortigerno Gerseorum rege (qui regnum arripuit) de medio tollitur. Hoc tempore Engisto duce Saxones nouas quærentes sedeis in Britanniam applicuêre: qui quanquàm minime Christiani à Vertigerno in regni partem excepti sunt auxilioq; ei contra Pictos, & Scotos fuere. Didonis insuper uisi dicuntur astutia, ut agrum mercati, quantum pelis bubula operiret, hac in tenues postea diuisa parteis, urbem cinxerunt in gyrum: quam sua lingua à pellis nomine Thoncastell (sic enim legẽdum puto, non Tangrastel) nominauerunt. Ita nanq; mihi Guilhelmus Petersonius Anglus αὐτόπλης, & taxeorum arcuum causa Tiguri hærens mihi retulit Anno Domini 1539. mense Octobri. Eodem uero authore Thoncastel Anglicè tantum ualet, ac si Latine dicas: corrigia castelli. Hactenus ille. Cæterum siue illi ex Beda, siue alio quopiam historicorum hæc mutuati sint, certe multum diuersa ab his super eâdem re Vuitichindus gestorum Saxonicorum lib. 1. scribit, qui & ipse Saxo fuit. Sic nanq; Britanniam à Saxonibus occupatam inibi narrat: Britannia à Vespasiano principe iam olim inter prouintias redacta, & sub clientela Rom. multo tempore utiliter degens, à uicinis nationibus impugna-

tur:eo quod auxilio Romanorum destituta uideretur. Populus nanq; Romanus Martiali imperatore à militibus interfecto, externis bellis grauiter fatigatus, non sufficiebat solita auxilia administrare amicis: extructo tamen ingenti opere ad munimen regionis, inter confinia à mari usq; ad mare, ubi impetus hostium uidebatur fore, relinquebāt regionē Romani. Sed hosti acriori, & ad bellandū prompto, ubi gens mollis, & pigra belli resistit: nulla difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus Saxonicis prospere gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia, & procedentes legati, optimi, inquiunt, Saxones, miseri Bracti crebris hostium incursionibus fatigati, & admodum contriti, auditis uictoriis à uobis magnificè patratis, miserunt nos ad uos supplicantes, ut ab eis uestra auxilia non subtrahatis. Terram latam, & spaciosam, & omnium rerum copia refertam, uestræ mandāt ditioni parêre: sub Romanorum hactenus clientela, ac tutela liberaliter uiximus: post Romanos uobis meliores ignoramus: ideo sub uestræ uirtutis alas fugere quærimus: uestra uirtute, uestris armis hostibus tantum superiores inueniamur, & quicquid imponitis seruitij, libenter sustinemus. Patres adhæc pauca respondent, certos amicos Bractis Saxones sciatis, & eorum necessitatibus, atq; cōmodis æque semper affuturos. Legati lætī redierunt in patriam, exoptato nuntio socios lætiores reddentes. Deinde promissus in Britanniam mittitur exercitus, & gratanter ab amicis susceptus, in breui liberat regionem à latronibus, restituens patriam incolis. Neq; enim in id agendo multum laboris fuit: quippe qui iam olim audi-

dita fama Saxonum perculsi terrebantur, dummodo præ sentia eorum procul pellũtur. Erant enim hæ gentes Bractis aduersæ Scoti, Pehiti: aduersus quos militantes Saxones accipiebant à Bractis omnia ad usum necessaria. Manserunt itaq; in illa regione aliquanto tempore, uicaria Bractorum bene usi amicitia. Vt autem uiderũt principes exercitus terram latam, ac fertilem, & incolarũ manus ad bellandum pigras, se uero ac maximam partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad reuocandũ maiorem exercitum, & pace cum Scotis, & Pehitis firmata, in cõmune contra Bactros consurgunt, eosq; regione propellunt, suæ ditioni regionem distribuunt. Et quia illa insula in angulo quodam maris, sita est, Anglosaxones usq; hodie uocantur. Ad hæc cognoscenda priusquam periculum &c.) Suetonius Tranquillus hanc Cæsaris prouidentiã (ut supra quoq; in præfatione diximus) hisce uerbis comprobat: In obeundis expeditionibus dubium cautior ne, an audentior. Exercitum neq; per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs: neq; in Britanniam transuexit, nisi ante per se portus, & nauigationem, & accessum ad insulam exploraſſet. Quod inde erat breuissimus in Italiam traiectus.) Infra à principio lib. 5. hunc portum Itium uocat. De quo lege plura apud Ptolemæum lib. 2. cap. 9. tabula Europæ 3. Strabonem lib. 4. Et Volaterranum li. 3. Geographiæ. Qui se de superioris temporis consilio.) De isto Morinorũ consilio inde supra in fine ipso lib. 3. Inusitato genere tormentorum.) Quæ species sint tormentorum ex 22. cap. lib. 4. apud Vegetium patet. Vbi inter alia tormentorum ge-

nera, balistã primo enumerat: eamq; funibus, neruis, chordisq; ita tendi, ut quanto maiora brachiola haberet, hoc est, quanto maior esset, tantò spicula longius mitteret. Deinde onagrum, quo lapides dirigebantur. Postremo scorpiones (quas nunc manubalistas inquit, uocant) ideo sic dictos, quod paruis, subtilibusq; spiculis mortem inferant. Hæc, atq; alia nimirum tormentorũ genera Britannis hominibus feris, ac barbaris, longeq; à Romanorum consuetudine alienis inusitata uidebantur: non secus atq; Gallis ambulatoriæ turres, ut superius sæpe in urbium oppugnatione exploratum est. Scaphas longarũ nauium, Item speculatoria nauigia.) Scaphæ nauiculæ sunt, quæ maiores naueis consequuntur. Speculatoria autem nauigia eadem sunt, quæ alio nomine exploratoria uocantur: quod (ut inquit, Vegetius lib. 4 cap. 37) ne candore prodantur, colore Veneto tinguntur, & funes cæra etiam (qua inungi solent naues) inficiũtur. Nautæ quoq; uel milites Venetam uestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes. Verumenimuero ne quid dissimulẽ, Vegetius idem paulò ante uerba modò citata scaphã, & exploratoriã pro eâdẽ naui usurpat: quũ tamen Cæsar hoc loco diuersas esse haud obscurè innuat. Quæ in stationibus erant.) Stationes cũ diurnæ tum nocturnæ militũ excubiæ dicũtur, Ger. die schiltuuacht. Alienũ esse tempus.) Circũspecti, fidi ac prudentis Imperatoris Cæsar hic nobis præbet. Ex illius nanq; officio est, omnia prius experiri q̃ armis decertare, ac exercitũ suum in discrimen uocare. Id quod & Tranquillus de Iulio in hæc testatur uerba: Quo sæpius inquit, uicisset, hoc minus expe-

experiendos casus opinans: nihilq; se tantum uictoria acquisiturum quantū aufferre calamitas posset. Quod propinqua die æquinoctij.) Quoniam supra dixit, exigua æstatis parte reliqua, nihilominus se in Britanniam nauigare constituisse, necessum est, ut hic æquinoctium autumnale intelligamus: quod secundum ueteres mathematicos 8 Kalendas Octobris fit: secundum Recentiores uero 17 Kalen. Octobreis, quando Sol Libram ingreditur. Nam alterum æquinoctium, quod Vernale uocatur, iuxta priscorum sententiam Octauo Kalendas Aprilis: iuxta Neotericorum autem computationem 17 Kalendas Aprileis contingit, quando uidelicet Sol Arietis signum intrat. Quo perfugio superiori anno.) Tum enim (ut ex fine superioris libri manifestum est) se, suaq; omnia in continenteis syluas, & paludes contulerant: quod se inferiores in pugna cum Cæsare indipiscenda uiderent.

ARGVMENTVM LIB. V.
DE BELLO GALLICO.

Principio qua forma naueis Oceano idoneas fieri iusserit: Deinde Treuirorum defectionem Indutiomaro auctore factam describit. Tertio quibus modis in Britanniam redierit: ubi & insulæ situm, ambitum, Britannorū mores, ac instituta magis Geographicè, ex actiusq; quàm in superiori libro, explicat. Deniq; quo pacto eosdem debellauerit. Quartò Eburonum defectionem, Ambiorige, & Catiuulco ducibus: & quibus insidijs Q. Titurius Sabinus, & L. Arunculeius Cotta legati ab ijsdem oppressi

sint. Quinto Neruiorum rebellionem prædicti Ambiorigis ductu factam. Sextò qua ratione Galliã fermè totam rebellantem in officio retinuerit. Septimò & ultimò quibus modis Labienus Indutiomarum castra Romana oppugnare conatum oppefferit.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM V.

Io. Rhellicani Annotationes.

VAM QVIBVS IN nostro mari &c.) *Pomponius Mela lib. 1. ait, totam terrã Ocean circundari. Ea autem parte, qua Europam ab Aphrica mare disiungit, & Asiam contingit, nostrum dici. Cur autẽ idem mare mediterraneum, & intercluſum etiam uocetur, ſupra libro 3. diximus. Quòd ſi quis plura de hoc mari cognoſcere cupit: doctiſſimos Vadiani noſtri commentarios in præcitato Melæ loco conſulat. Quod à Piruſtis finitimam partem prouintiæ.*) *Quas genteis Cæſar hic Piruſtas, Ptolemæus in 5 Europæ tabula Piruſas uocat: & in extrema Dalmatiæ parte, uerſus Macedoniam eaſdem ponere uidetur. Strabo autem lib 7. Piruſcas, eaſq; in inferiori Pannonia locat. Vide 6 Europæ tabulã. In fines Treuirorum.*) *Hos Ptolemæus in 3 Europæ tabula Triberos appellat.*

appellat. In ſyluam Arduennam abditis.) Strabo lib. 4. de Arduenna ſylua hæc prodidit: Arduenna, inquit, ſylua eſt procerarum arborum permagna quidem, uerum haud magnitudine tanta, quantam rerum ſcriptores tradidêre, ſtadijs millibus quaternis. Hactenus ille. Porrò Galli eam nunc in uernacula ſua foreſte Dardena uocant & Germani ſyluam Leodienſem, den Leuticher Vuald: propterea quod ad Eburones, hoc eſt Leodienſeis pertinǽt, ut ſupra quoq; Cæſar lib. 1. loquitur. Quæ in Meldis factæ erant.) Idem Strabo lib. eodē Lexouios, & Meldos Oceano uicinos eſſe perhibet: atq; in Gallia Lugdunenſi eos ponit. Ptolemæus autem, Plinius, & Volaterranus in eâdem quidem Galliarum parte, ſed in alio tractu, nempe iuxta Heduos, & Lugdunum metropolim prope Galliam Narbonenſem. Quod ſi ita habet, duo populi ſunt, qui hoc nomine gaudent: & Cæſar de Oceani accolis hic loquitur. Nam ſi tertiam Ptolemæi tabulam Europeam quis contempletur: facile conijciet naues non ad Cemmenos montes fabrefactas, quibus milites Cæſareani in Britanniam tranſportarentur. Naues enim propter loci diſtantiam à mari non ſine ampliſſimis impenſis in Oceanum deduci potuiſſent. Verum enimuero hanc controuerſiam Beroaldi lectio nobis pulchre componit. Nam pro in Meldis, legit in Belgis. Id quod huc optime quadrat. Siquidem quum Belgæ una parte Oceanum uerſus ſeptentriones attingant: ueriſimile eſt naues iſtas inibi factas, quibus Cæſar per Oceanum in Britanniam traiectaturus erat. Religionibus impediri &c.) ſcilicet aliquibus, ut ominibus, & augurijs parum felicibus.

Fidem

Fidem reliquis interponere, iusiurandum poscere.) *suple cœpit, ut exponit Priscianus: uel ut alij interpretantur, Interponere interponebat, poscere poscebat. ut sit, infinitiuus pro indicatiuo positus,* κατ' ἐναλλαγήν. *Quod Corus uentus nauigationem impediebat.*) *Sine aspiratione Corus scribit debet, qui idem & Caurus dicitur. De quo Aulus Gellius lib. 2. ca. 22. ita scriptum reliquit: Tres sunt uenti orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus, quorum medius Eurus est. His oppositi & contrarij sunt alij tres Occidui, Caurus, quem solent Græci* Ἀργέστην *uocare: is aduersus Aquilonem flat. Item alter Fauonius, qui Græcè uocatur* Ζέφυρος: *is aduersus Eurũ flat. Tertius Africus, qui Græcè uocatur* Λίψ: *is aduersus Vulturnum flat.*

Qui magnam partem omnis temporis in his locis flare cõsueuit.) *Ex præcitatis Gellij uerbis, & ex Europæ tabula apud Ptolemæum ratio huius flatus liquidò constare potest. Nam quum Britannia (teste Plinio) partim uersus occasum uergat, partim uersus Septentrionem: necessum est, Caurum uẽtum maximè indidem aduersus Aquilonẽ spirare, quippe contrarijs inter se existentibus illis duobus uentis.* *Cum annotinis:*) *hoc est, quæ annonam uehebant, ut sit denominatiuum, sicut à sero serotinus. Eo minus ueritus nauibus.*) *Obserua ita Latine dici uereor tibi sicut timeo tibi.* *Testudine facta. Vnde, & in quem usum testudo contexta sit olim, supra lib. 3. per occasionem diximus, ubi muralium falcium ex Vegetio mentionem fecimus.* *Nascitur ibi plumbum album.*) Plinius li. 34. cap. 17. tradit candidum plumbum multum ariditatis habere: nigrum uero esse totum humidũ. Illudq; eam ob causam

ſam nulli rei ſine mixtura utile. Neq; argentũ ex eo plumbari, eo quod argentum prius liqueſcat. Confirmantq;, inquit, ſi minus albo nigri quam ſatis eſt, miſceatur, erodi ab eo argentum. *Inſula natura triquetra.*)*id eſt, triangula eſt, ut Strabonis interpres lib. 4. uertit. Cuius unum latus eſt contra Galliam &c.*) *Quoniam ea, quæ Volaterranus lib. 3. Geographiæ ſcribit non parum ad hunc locũ illuſtrandum faciunt: age eius uerba huc tranſcribamus.* **Sic ergo ait:** *Inſulam totam ſicuti olim in tria promontoria, ſeu treis angulos, in totidem deinde regna diuiſerunt: ubi Cantium, & Londinum, Angliterram appellant, quæ loca maritima uerſus Galliam, & humaniora continet, ex Anglis Saxonibus appellata, quia eam partem occupauerunt. Deinde ad latus occidentale Scotiæ regnum, ubi inſula ingens Caledonia, & mare Caledonium illi uicinum Ptolemæo, cæteriſq; Geographis ponitur. Hactenus ille. Cæterũ Ptole. tabula Europæ. i. quod Cæſar hic Cantiũ Nutantiũ uocare uidetur.* *Dimidio minor, ut exiſtimatur, Britan.*) *Pli. lib. 4. cap. 16 ait Iberniæ eandem latitudinem eſſe, quæ Britanniæ, ſed longitudine ducentorum millium paſſuũ minorem. In hoc medio curſu eſt inſula.*) *ſuple inter Britan. & Iberniã. Cõplures præterea minores.*) *Ptolemæus in prædicta tabula ſupra Monam, Limnum, & Adron ponit: & triginta Orchades Britãniæ, & ſex alias inſulas partim Iberniæ, partim Britanniæ obiectas.* *Dies continuos tringinta ſub Bruma.*) *Sub bruma, id eſt, ſub Solſtitiũ brumale. Quod tametſi Cæſar nõ compererit, ideoq; nec eidem uero ſimile uidetur: tamen ratio uſus, ac rerum experiẽtia uerum eſſe docet. Quantò*

enim

enim quis magis Septentrionem uersus proficiscitur, tantò in hyeme noctes longiores: & è contra in æstate dies longiores sunt. Hinc fit ut dies æstiuus Cracouiæ, & nox hyberna circiter horã solidam nostrates superent. Vnde etiã (quod multò plus est) fiet, ut apud Thylenseis, ac Bilappios (quos ἐνωλοκοίτους Græcè uocaueris, eo quod adeò latas, & prolixas habeant auriculas, ut super unam cubent, & altera se tegant) extremos Septentrionis populos sub æstiuo solstitio continui dies, & sub hyberno continuæ noctes sint. Cuius rei Plinius lib. 2. cap. 77. in hæc uerba testimonium perhibet: Solstitialibus diebus, accedente Sole propius uerticẽ mundi, angusto lucis ambitu, subiecta terra, continuos dies haberi senis mensibus, noctesq; diuerso ad Brumam remoto. Quod fieri in insula Thyle Pythias Massiliensis scripsit, sex dierum nauigatione in Septentrionem à Britannia distante. Quidam in Noma, quæ distat à Camalduno Britanniæ oppido circiter ducentis millibus, affrmant. Perhibet & Ioannes de sacro Busto in sphæra sua materiali rationem eiusdem rei in hæc addens uerba: Illis quorum Zenith est inter circulum Arcticum, & Polum mundi Arcticum contingit: quod horizon illorum intersecat Zodiacum in duobus punctis æque distantibus à principio Cancri. Et in reuolutione firmamenti contingit, quod illa portio Zodiaci intercepta semper relinquitur supra horizontem. Vnde patet, quod quàm diu Sol est in illa portione intercepta, erit unus dies continuus sine nocte. Ergo si illa portio fuerit ad quantitatẽ signi unius, erit ibi dies continuus unius mẽsis, sine nocte. Ad quantitatem uero duorum signorum erit duorum mensium &c.

Quot

Quot autem nationes in insula Thyle habitent, & quo pacto se sub utrumq; solstitium gerant, Procopius lib. 2. luculenter ostendit: ideoq; eius rei descriptionem iuxta Christophori Porsenæ tralationem huc auctarij uice transcribere uisum est. Nationes, inquit, tredecim insulam inhabitant, affluentissima quadam mortalium multitudine, regesq; singulis nationibus præsunt. Et apud has uniuersas mirandum quid fieri cõtingit. Siquidem circa extremum æstatis tempus dum in autumnum hæc se circumagit ad quadragesimum, plurimum diem, haudquaquam Sol in occiduum uergit: sed per omne id tempus supra terram existit, ac uisitur. Dein minore quàm mensium sex interuallo circa hyemisq; postrema, eâdem in insula, per dies sol 40. nusquam comparet, sed perpetua hæc offunditur nocte. Vnde & per id tempus negotiorum omniũ remissio tenet quĩ in ea regione sunt homines, quandoquidem nullo pacto uersari inter se hi mutuò queant. Mihi uero hanc insulam adeundi, & si nimium properanti oblata nunquam occasio est, ut miranda ista conspicerem. Ab his tamen quærendo, ac scisscitando, qui inde se ad nos contulerunt, num ea in insula statis temporibus sic oriretur (ut traditur) Sol, & occideret, certiorem esse eius rei comperi famam ex eorum præsertim relatu, qui Solem ea in insula identidem affirmarent per dies hos 40 nec occidere quidem: sed eius regionis hominibus in orientem alibi comparere, & nonnullis in locis ad occidentem, in horizontemq; rursus hunc redeuntem, eundem se in locum recipere, ubi & die superiore orientem conspexerant, & hunc in modum noctem unam hos computare iam pertransisse: rursumq; quiũ noctium

tempus

tempus aduenerit, ut Lunæ, ita & ſyderũ curſibus aliorũ animaduerſis, dierum hos ſpacia contemplari. Deniq; dierum quinq; & triginta magnæ huius, & perpetuæ noctis tranſacto iam tempore in montium cacumina ex eorũ cõſuetudine nonnullos emittere ſpeculatum, ut ſicunde forte ex aliqua ſpecula Solem conſpexerint, hominibus ſtatim inferiora tenentibus loca renuntient, poſt quintum diem ut his Sol omnino illuceat fore. Tunc uniuerſos ut fauſta ſibi renuntiata panegyricis laudibus celebrare, & hæc ipſa in tenebris agere &c. Ex quibus omnibus apparet, nõ uanum eſſe (teſte Iulio) quod quidam de his prodiderunt inſulis, dies cõtinuos 30 ſub bruma eſſe noctem. Certis ex aqua menſuris.) Clepſydras nimirum intelligit, quibus & Græci, & Romani in horarum ſpatijs dimetiendis perinde utebantur, ut nos iam arenarijs horologijs. Breuiores noctes ſuple æſtatis. Quum enim exercitum iam ante ex hybernis Gallicanis eduxiſſet, quàm in Britanniam ſolueret, dubio procul iſthæc noctis dimenſio in æſtate eſt facta. Ita omnis inſula in circuitu eſt uicies &c.) Plinius in antè citato loco ex Pythiæ, & Iſidori ſententia docet: Britanniam circuitu patere 38. M. Paſſus, & 75. M. Ex Agrippæ autem ſententia longitudinem 800 mille paſſuũ eſſe credit: Latitudinem 300 millium. Britanni ſe glaſto inficiunt.) Plinius idem lib. 22. cap. 1. Glaſtum, inquit, ſimile plantagini in Gallia uocatur: quo Britannorũ coniuges, nurusq; toto corpore obſitæ quibuſdam in ſacris nudæ incedunt, Aethyopum colorẽ imitantes. Hæc ille. Cæterum quia Herodianus ſub finem lib. 3. quædam de Britannorum ueterum moribus ſcribit, quæ ad hunc locum illuſtran

illustrandum facere uidentur, idcirco ea secundum Politiani interpretationem huc adscribenda duxi. Neq; ait, uestis usum cognorunt: sed uentrem, atq; ceruicem ferro incingunt, ornamentum id esse, ac diuitiarum argumentum existimãtes: perinde ut aurum cæteri barbari. Quin ipsa notant corpora pictura uaria, & omnifariam formis animalium: quo circa ne induuntur quidem, uidelicet picturam corporis ne adoperiant. Sunt aũt bellicosissima gens, atq; auidissima cædis, tantũ scuto angusto, lanceaq; contenti. Prætereagladio nudis corporibus dependente: loricæ, ac galeæ penitus ignorant usum &c. Vnde appareret etiam Seueri Imperatoris, & Herodiani temporibus eundem pingendi corpora morem apud Britannos fuisse: qui Iulij Cæsaris ætate fuit. Equites hostium, essedariijq; &c.) Per digressionem hactenus situm, ac mores Britannorum descripsit: nunc ad institutam historiam & bellum cum Britannicis equitibus gestum redit. Supra enim de hostibus ita narrat. Illi equitatu, atq; essedis ad flumen progressi &c. Ad flumen Thamesim.) Supra enim dixit Cæsar à maritimis ciuitatibus per hoc flumen Cassiuellauni fines diuidi. Volaterranus uero li. 3. Geographiæ Londinum ad Thamesim fluuium quem uulgus Anglicanus nunc Thenis uocat, (ut multis ingenij dotibus ornatus iuuenis D. Georgius Sophocardius Scotus Tiguri in Abbatissano collegio agens mihi retulit) situm esse affirmat: ibiq; regiam sedem esse. Oppidum autem Britanni uocant, quum syluas impeditas uallo &c.) Istiusmodi fermè oppida, & domos olim etiam apud Germanos fuisse idem Herodianus lib. 7. in hæc uerba testatur: Sunt urbes,

bes, ædificiáq; Germanorum incendijs maximè idonea. Rara enim apud eos structura è lapide, & lateribus coctilibus: densisq; potius syluis, quarum confixis, coagmentatisq; lignis, quædam quasi tabernacula ædificant. Duobus commeatibus.) id est, duabus transmissionibus, seu profectionibus. Concilioq; Gallorum Samarobrinæ per.) Ptolemæus lib. 2. cap. 9. unica litera immutata Samarobrigam uocat: Ambianorumq; oppidum esse uult. Volaterranus autem lib. 3. Geograhpiæ Samarobrinam Rhemorum urbem statuit. At (cum doctissimi hominis uenia dictum uolo) hallucinatus uideri potest. Etenim nullum Rhemorũ oppidum à Geographis hoc nomine recensetur. Adhæc quum Cæsar antea dixerit, se propter subitos Gallorum motus in Galliam festinasse, non est uerosimile, eum fermè in postrema occasum ac meridiem uersus parte concilium celebrasse: quũ è diuerso Ambiani statim post Morinos (in quorum portum ex Britannia appulerat) occurrerent, id quod ex 3 Europæ tabula apud Ptolemæum liquidò apparet. Diuersum ab his omnibus Hubertus sentiens, ait, Samarobrinam nunc Cameracium dici: propterea quod Galli eam nũc uulgò Cambray, Itali, uero Samberei uocent. Tertiam in Essuos.) Quum Cæsar superiori. 2. eos Suessones uocet, quos Ptolemæus in modò citata tabula Vessones: mihi uidetur librariorum incuria pro Suessones, uel Vessones scriptum esse Essuos. Nullus enim Geographorum ueterum (quos ego saltem uidi) Essuorum Galliæ populorum meminit. Inter recentiores uero Iucundus & Marlianus authores sunt, Essuos Armoricis ciuitatibus proximos esse: à Belgis remotos plusquàm

centum millia passuũ. Et Gallice Retelois oultre tornay uocari asserunt ijdem: Hubertus uero uir haud indoctus in Eburonibus suis, ac Tungris putat, Essuos eos nunc esse, qui circa oppidum Et habitant: quod superioris Germaniæ dialecto Ess nominaretur. Treis in Belgio collocauit.) Id est, in reliqua Belgij parte. Neruij enim, Suessones, & Treuiri etiam ad Belgicam Galliam spectant. Trans Padum, id est, in Transpadana Italia, quæ nona Italiæ regio à Plinio li. 3. ca. 17. recensetur. Padus enim (qui & Eridanus à Græcis dictus est) Togatã Galliam à Transpadana Italia disiungit: ut ex 6 Europæ Tabula apud Ptolemæũ apparet. Qui sub imperio Ambiorigis.) Vterq; enim (ut ex 6 lib. de bello Gal. infra patet) dimidiæ partis Eburonum rex erat. In pacatissimam & quietissimam.) utpote qui Rhemis fidelissimis Romanorum socijs fratres erant, adeoq; illorum beneficio cõseruati: dum Cæsar Nouiodunum expugnauit, quemadmodum supra lib. 2. narrat. In Galliam morari constituit.) Græca cõstructio, pro in Gallia. Græci nanq; in etiã cum accusatiuo construunt, quando nos, uel quoslibet in loco esse, uel futuros esse significamus: ut εἰς Γαλατίαν ἐμμεῖναι, id est, in Galliam perseuerare. Erat in Carnutibus.) id est, inter Carnutes (rursus enim Græca loquendi forma est omnibus etiam Latinis historicis perquam familiaris) Lugdunensis Galliæ populos: quorum oppidũ est Genabum. Est autem Carnutum regio (ut Cæsar infra lib. 6. perhibet) totius Galliæ media. Quod sanè uerũ esse ex; Europæ tabula constat. Ad castra oppugnandi uenerunt.) suple gratia. Est enim Ἀπλῆ ἔκλειψις. Nam

& illi ἔνεκα in eiusmodi locutionibus omittunt, ut τῦ μαθεῖν ἦλθε, id est, discendi uenit, suple caussa. Sese pro Cæsaris in se beneficijs.) Hæc Ambiorigis oratio generis suasorij est. Legatis nanq; Cæsareanis persuadere conatur, se cum Cæsari, tum ipsis bene uelle. Vtitur autem primum argumento à gratitudine sua erga Cæsarem pro acceptis beneficijs. Deinde per occupationem diluit id, quod sibi ab aduersarijs de castrorum oppugnatione obijci posset: utiturq; coniecturali argumẽto & criminis translatione, dum culpam bellici, ac hostilis motus in multitudinem transfert: & quando ait, non uerisimile uideri, se tantulis copijs adeò ingentem Ro. exercitum aggredi, ne dicat conterere in animum induxisse. His coniecturis præmissis, dolum, ac mendatium subiungit, commune uidelicet Gallorum decretum esse, uno die omnia Romanorum hybernacula oppugnare: ad quod efficiendum ingentem Germanorum manum conductam esse. Coactu ciuitatis.) Sicuti dicimus permissu, iussu &c. Suaq; esse huiusmodi imperia &c.) Isthæc imperia Alexander ille Curtianus precaria uocat. Primorum militum centuriones.) pro militum Beroaldi & Aldi exemplar ordinum, & meo iuditio rectius legunt. Maiorum enim, ac Minorum ordinum centuriones in antiqua Rom. militia fuisse ex 2 Vegetij lib. cap. 8. discimus: ubi in hæc inquit uerba: Vetus autem consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoueretur centurio primipili: qui non solum aquilæ præerat, uerumetiam quatuor centurias, hoc est quadringentos milites in prima acie gubernabat. Hic tanquàm caput totius legionis merita consequebatur, & commoda.

da. Qui enim uolet, totum caput perlegat. Suam ſententiam in utranq; partem eſſe tutam.) Δίλημμα eſt, ſed infirmum: facile nanq; ad hunc modum euerti poteſt. Imò uero diceret aliquis utraq; ſententiæ tuæ pars, multũ & temeritatis, & periculi habet. Nam temerarium ne dicam ſtultũ eſt, hoſti credere: nec minus periculi ineſt, quippe qui inſidias ſtruere poſsit. Deinde ut maxime tota Gallia cum Ro. conſpiret: ſatius erit Martis aleam in caſtris experiri, quàm ut nos ultrò in inſidiarũ diſcrimen conijciamus. Qua de re conſulito Ci. lib. 2. ad Herennium: ubi de confirmationis ratione agit. Tum demum Titurius.) Quandoquidem Titurius ſaniori collegæ ſui conſilio parere noluerat, ſed temerarium relinquendorum caſtrorum conſilium inierat: par quoq; erat, ut primus omniũ temeritatis ſuæ pœnas lueret. Sic enim & hic Cæſar de eo ſcribit, & Heſiodus de omnibus temerarijs conſultoribus non tam eleganter quàm uerè cecinit: ἄδε κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Quod carmẽ nos ad hunc modũ Latinum fecimus. Conſilium prauum domino nocet, unde profectũ. Eiuſdem ordinis.) id eſt, qui etiam centurio primipili erat. Et primorum ordinum centuriones.) De quibus uide ante allegatum Vegetij locum li. 2 cap. 8. Interim dum de conditionibus &c.) Vbinam hæc in Eburonibus geſta ſint, Hubertus oſtendit, dicens: Sabinum in ea Leodij uia interfectum, quæ apud ædem S. Crucis eſt: atq; ab eodem Sauiniã b in u mutato nuncupatã. In Aduaticos·) id eſt, Tungros Belgicæ Galliæ populos, ab Atuaco oppido ita uocatos: ut Beatus Rhenanus lib. 3. Rerum Germanicarum edifſerit. Idem nunc Iucun-

do authore Bosleduc Gallicè uocantur. Si autem Volaterrano credimus, Brabantini nunc dicuntur. Itaq; confestim missis nuntijs, ad Centrones &c.) Hubertus Leodiensis Centrones legit, atq; oppidum eiusdem nominis Centron in patria Leodiensi, tribus à Tungris lapidibus ponit. Quem si etiam de Grudijs, Leuacis, Pleumosijs, ac Gordunnis consulueris, bonum ac literatum otium non perdes. Muralium pilorum.) Vnde muralia pilia dicta sint ex 20. cap. lib 1. Vegetiani clarescit: ubi docet pedestrem exercitum, tum murũ uocari solitum, quum pilatæ legiones præter scuta, etiam cataphrattis, galeisq; fulgebant. Pinnæ loricæq.) De his infra lib. 7. habebimus in Alexiæ oppugnatione: ubi annotationes Iucundi consule. Erant in ea legione.) suple quæ in Neruijs ductu Ciceronis hybernabat. Qui iam ordinibus ap propinquarent.) scilicet centuriones hostibus. Primis, id est cum primis ordinibus, hoc est prima, & secunda cohortibus. Vegetius nanq; lib. 2. cap 15. refert, aciem pedestrem à prima cohorte incipere ordinari in cornu dextro. Et paulò post, nec non, inquit, in prima acie dimicantes principes uocabant, hoc est ordinarij, cæteriq; ordinales. Et uerutũ in Baltheo defigitur.) Verutũ (teste Vegetio li. 2. ca. 15.) spiculũ minus est, ferro triangulo, untiarũ quinq;, hastili trium pedũ, & semis: quod olim uerriculũ, nunc uerutũ dicitur. In quo loco dimicare.) Quippe quũ hosteis ualli magnæ propinqui essent, & trans riuũ uersarentur, qui Ro. transeundus erat, præterea paucis Cæsareanis cũ multis hostibus pugnandum erat. Traducunt) scilicet per uallem, ac riuum. Obstructis in speciem portis.)

suple

ſuple quod timorē ſimulabant. Quod eà non poſſe.) Eà aduerbialiter hic ponit, ſicut hàc, iſthàc &c. niſi mēda ſit. Nam Beroaldi exēplar eas legit, ut referat portas. Vtro cunq; autē modo legatur, ſenſus in idem redit, eà enim ſuplendū per portam. Quæ Armoricæ appellātur.) Plinius lib. 4. cap. 17. docet totam Aquitaniam olim Aremoricam uocatam eſſe. Cæſar autem infra lib. 7. eas demum ciuitates Aremoricas uocat, quæ Oceanū attingūt. Quæ ſanè ex Germanis brachium, hoc eſt ſinum maris ſignificat: & per complexam, Armoricæ ciuitates, perinde quaſi dicas maritimæ ciuitates. Et fieri poteſt ut uel Aquitani quidam maritimi Germanicè locuti: uel hanc uocē à Germanis mutuati ſint. Præſertim quum Strabo lib. 4. Aquitanos non modo lingua, ſed corporibus quoq; permutatos aſſerat. Senones.) ſuple Celticæ Galliæ populi Cemmenis montibus adiacentes: ut ex; Europæ tabula cognoſcimus, & ſupra li. 2. paucis annotauimus, Gallicè nomen truncatum Sen adhuc retinent. Alteros pro uetere.) ſcilicet Heduos, qui Romanorum fratres erant, ut Cæſar ipſe ſupra lib. 1. diſertis indicat uerbis. Alteros ſuple Rhemos, de quibus ſuperius ab initio li. 2. Ariouiſti bello, & Tenctterorum.) De illo ſub finem lib. 1. De hoc ab initio lib. 4. Altera ex parte Senones, Carnutesq; &c.) Senones quidem quod Cauarinum regem ſuum regno eieciſſent: Carnutes uero quod Taſgetium regem ſuum interemerant. Ad finitimas ciuitates.) ſcilicet Sueſſonum, & Mediomatricum, ut; Europæ tabula præſefert.

Hac re cognita omnes Eburonum ac Neruiorum.) Beroaldi lectio Treuirorum, & hauddubiè rectius habet. Indutiomarus enim (qui modò in flumine perierat) illorū

dux fuerat, ut ex uno, atq; altero iſtius libri loco apparet.

ARGVMENTVM LIB. VI. DE BELLO GALLICO.

Primò, Senonũ defectionẽ Acconis cõſilio factâ, & quo modo ijdem cum Cæſare in gratiam redierint deſcribit. Secundò, Bellũ cum Treuiris geſtũ: & quo pacto ijdem à Labienouicti ſint. Tertiò, Quibus de cauſis Rhenum denuò trãſierit: ubi & Gallorum & Germanorum ritus, mores, ac inſtituta Graphycè depingit. Quartò, Bellũ cum Ambiorige pugnã detrectante geſtum. Quintò, Sicambrorum tranſitum, ac irruptiones in Eburonum fines: & quibus modis ijdem Ciceronis caſtra (qui impedimẽtis ad Vatucã præſidio relictus erat) oppugnarint. Demum ad Ambiorigis fugam, latebraſq; deſcribendas redit.

IN

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM VI.

Io. Rhellicani Annotationes.

VLTIS DE *cauſis.*) *Quarum hanc potiſſimam ſub calcem ſuperioris libri recenſuit: quippe quod Gallis doleret, ſibi bellicam maiorũ gloriam ereptam, & quod populi Romani imperia perferre cogerentur.* Delectum habere inſtituit.) *ſuple in Italia. Siquidem Plutarchus ait Cæſari ex Italia in Cæſarum ſupplementum treis legiones uenisſe.* Cn. Pompeio proconſule.) *ſcilicet Hiſpaniæ deſignato. Idem nanq; Plutarchus in Craſsi uita refert, Pompeium, & Craſſum conſulatu per uim potitos eſſe, & deinceps ſortitione facta, huic Syriam, illi Hiſpaniam obtigiſſe.* Cum imperio maneret.) *id eſt, magiſtratu fungeretur, quæ locutio hiſtoricis frequens eſt, præſertim Liuio. Sic enim lib. 3. ſecundi belli Punici loquitur: T. Attilius Craſſus in Siciliam cum imperio, qui claſsi præeſſet, miſſus eſt.* Sacramento.) *i. iureiurando. Rogauiſſet, id eſt, aſtrinxiſſet. Et hæc locutio hiſtorica eſt. Idem nanq; Liuius lib. 2. belli Macedonici, L. inquit, Cornelius Lentulus Prætor cũ quinq; legatis profectus eſt, obuios in agris ſacramento rogatos arma capere, ac ſequi cogebat.*

Et amicitiæ tribuiſſet.) *Præter affinitatem Cæſaris*

cum Pompeio, etiam amicitiæ uinculũ intercesserat, quod tamen cum Crasso cõmune habebant. Isti nanq; tres reip. munerainter se partiebantur, ut testatur Plutarchus in ante citata Crassi uita, & Appianus lib. 2. bellorum ciuilium: ubi ait à Catone dictum in illos, quod resp. nuptiarũ lenocinio corrumperetur, & ab alio quodam eosdem tricipitium nominatos, idem author est. Duplicatóq; earũ cohortium numero.) Quoniam supra lib. 5. ait unam legionem, & quinq; cohortes Sabino, & Cottæ commissas fuisse, & inibi non multò post perpaucos ex his incolumes in Labieni hyberna peruenisse: per duplicatũ numerum fermè treis legiones intelligo. Obsidibusq; de pecunia cauent.) Cauent suple Treuiri, hoc est securas reddunt alias ciuitates sibi deuinctas. Obsidibus. i. per obsides. De pecunia. i. stipẽdio numerando. Cautum enim (ut habetur in li. de uerborum significationibus) intelligitur siue personis, siue rebus cautum sit. Is autem cautus, hoc est securus (Alciato explanatore) est cui uel pignore, uel fideiussione consultum est. Cisrhenanis omnibus Germanis.) scilicet Segnis, & Cõdrusis, de quibus in sequentibus Cæsar ipse. Porrò qui Germaniæ populi præterea Gallicam Rheni ripam incoluerint, Plinius lib. 4. cap. 17. uideatur. Proximis quatuor legionibus coactis.). i. quas recens delegerat, ut ab initio istius libri patet. In hyberna.) suple quæ Samarobrinæ tripartita erant, sicuti Cæsar ipse sub finem lib. 5. docet. In Lutetiam Parhisiorum transfert.) Ptolemæus Lutotetiã à Luto, quod lutosa urbs sit, uocat. Quale aũt, & quãtulũ oppidulũ fuerit tempore Iulij Cæsaris Rhenanus li. 3 Rerũ Germanicarũ doctissimè

describit

deſcribit:ubi & monet nomina huiuſmodi populorum, ut Raurici, Mediomatrices, Treuiri, & Parhiſij, nunc pro gente, nunc pro oppidis uſurpari. Quod autẽ quidam Pariſius pro Parhiſijs ſcribunt, ac pronuntiant: barbariſmus eſt ex Gallica lingua cõflatus. Galli enim hauddubie quũ u per y pronuntient, ex duplici i, i & u fecerunt, hoc eſt, ũ.

Confines erant hi Senonibus.) Parhiſij quidem Senonibus confines ſunt, ſed tamen Triccaſij, & Auguſtobona interiacent: ſi picturæ Ptolemaicæ credimus. Ex huius iracundia &c.) Nam iratus erat hauddubie Senonum ciuitati, quod ſe regem ſuum regno expulerant. De quo ſupra li. 5. Erant Menapij propinqui &c.) De hoc confinio ſuperius lib. 5. ſcripſimus. Erat inter Labienũ, atq; hoſtem.) Flumen nimirũ Moſella, quod Ptolemæus (Beato Rhenano lib. 1. Rerum Germanicarum atteſtante) Obrincum uocat. Quum enim non tantum ſupra li. 5. Cæſar ſcribat, Labienũ cum quarta legione, in Rhemis, idq; in Treuirorum confinio, hyemare iuſſum, uerumetiã hic diſertè teſtetur, Labienum cum una legione in Treuiris hybernaſſe, & iſtum cum hoſtibus concurſum inibi factum: hunc fluuium intelligi neceſſum eſt, quando aliud nullum Geographi iſthic ponunt. Permanſiſſe in officio demonſtrauimus.) ſuple ab initio lib. 5. Vbij, qui ante obſides dederant.) De hoc ſuperuis lib. 4. Quæ appellatur Bacenis &c.) Bacenim eandem ſyluam cum Hercynia (quam Cæſar paulo inferius deſcribit) omnium penè eruditorum conſenſus approbat. Tametſi enim Volaterranus lib. 7. Geographiæ ex hoc, & ſequenti Cæſaris loco putet, diuerſam eſſe: tamen ex eius lectione (nam pro

Bacenis,

Bacenis, Barcenis legit) colligi potest, eandem gemino, sed idem significanti nomine appellari. Quemadmodum nanq; Hercynia, siue (ut Eratosthenes habet.) Orcynia in uernacula Germanorum hartz: ita & Barcenis unica litera immutata dicitur bartz pro hartz. Nam sicuti Taurus mons Asiam, Atlas Mauritaniam, & Apœninus Italiam mediam intersecant, & dubio procul uaria à uarijs accolis nomina sortiuntur: ita & hercynium nemus totam Germaniam ad Rhiphæos usq; montes, & paludes Mæotidis permeat, sed ab alijs confinibus aliter & Latine, & Germanice uocatur. Latini nanq; partim & Græci eandem syluam Bacenim, Martianam, Gabretam, Semanam & Hercyniam nominant. Germani uero iuxta Friburgum Brisgaudiæ, eam nigram syluam, à pinorũ haud dubie opacitate: Heidelbergensis tractus ab Othone Othonis syluam: Prope Herbipolim autem, & Babenbergam ardua sylua, Germanice Steigeruuald (unde nimirũ uox Gabreta apud Strabonẽ li. 7. nata est) ab ijsdem uocatur. À Mœno etiam ad Loriam amnem prope Confluentiam der Vuesteruuald, hoc est Occidentalis sylua. Non procul autem à Mœni ripa, ubi Francofurdiam, Asciburgium, & Maguntiacum urbeis attingit, Spijsshartz, hoc est picearia sylua. In Saxoniæ faucibus ubi comitis à Mansfelden ditionem pertingit à pice rursus nomen sortitur, Germanicè uff dem hartz: Á Thuringis populis adiacẽtibus Thuringica (de qua Cæsar hic potissimum loqui uidetur) & à Bohemis Bohemica appellatur sylua. Qua de re qui copiosius edoceri cupit, doctissimũ carmen Conradi Celetis Protutij, primi apud Germanos poëtæ, de Hercynij ne

moris tractu per Germaniam, & tertium capitulum in urbis Norembergæ descriptione cõsulat: nos enim hic breuitati quo ad fieri potest, studemus. Ac longe introrsus pertinere.) Si quis hunc cum inferiore Cæsaris loco conferat diligentius, Bacenim, & Hercyniam eandem esse syluam deprehendet. Sicuti nanq; hic ait, illam longe introrsus pertinere, id est, longius pertingere: ita hanc insequentibus dicit ab Heluetiorum finibus ortam usq; ad Dacos, & Anartes prortendi. Cheruscos à Sueuis.) Iuxta Pyrchemeri, & Rhenani sententiam lib. 1. Rerum Germanicarum, Cheruscorum sedes Misni, Saxones, ac Thuringi nunc tenent. Quod sanè haud ineptè ad hunc Cæsaris locum facit. Siquidem Sueui nobis cis Bacenim, hoc est, Thuringicam syluam, & Thuringi ultra eam ita habitãt, ut natiui muri loco inter utroq; obiecta sit. Qua enim ex Choburgo Grauet aliã itur, Bacenis ad tria Germanicorum passuum millia in Latitudinem patet.

Quoniam ad hunc locum peruentum est &c.) Per longiusculam digressionem, Callorum, & Germanorum mores, instituta, ac memorabilia quæq; describere incipit.

Qui in aliquo sunt numero, atq; honore &c.) Legito Erasmi Prouerbium, Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι, hoc est, Megarenses neq; tertij, neq; quarti. Genera sunt duo.) Strabo li. 4. Geographiæ tria hominum genera ponit, quæ in magno pretio apud Gallos quondam fuerũt: Bardos, qui laudationibus, rebusq; poëticis uacabant: Vates, qui sacrificijs, causarumq; naturalium scrutationi studebant: Druidas, qui præter causarum naturaliũ studia, moralem disciplinam exercebant, reliquaq; & priuata, & publica

publica munera obibant, quæ Cæsar hic quoq; describit.

Multi in disciplinã cõueniunt.) Pomponius Mela huic Cæsaris loco in hæc uerba subscribit: Docent multa nobilissimos gentis clam, & diu uicenis annis in specu, aut in abditis saltibus. Hæc ille. Porrò quia Celtis in præcitata Nurembergæ descriptione non tantum nominis Druidarum ἔτυμον, uerumetiam habitum, & transmigrationem eorum describit, studiosis non ingratum fore putaui, si paucula eius uerba huc transcriberẽ: Genus, inquit, illud Philosophorũ apud Gallos Græcanice uiuentium erat, quos ἀπὸ τῆς δρυός. i. à quercubus nominauere: inter quas ut (sicuti & Abrahæ, & Gedeonis quercus testis est) oracula antiquitus effundi credebantur: ita illi ueluti oraculorum, sortium, fulminumq; (quorum illa arbor obnoxia) interpretes tales consedebant, quales nudius uidimus, dum Ioannes Theophilus, Vir summa eruditione, & ingenio nos in patriam suam ad radices Piniferi secum adduceret, hic dum fortè incœnobium diuertissemus, lapideas imagines sex, uetustissimo in saxo ad fores templi parieti insertas conspeximus: septem pedum singulæ, nudis pedibus, capita intectæ, Græcanico pallio, & cucullato, perula q;, & barba ad inguina usq; promissa, & circa naris fistulas bifurcata, in manibus liber, & baculus Diogenicus, seuera fronte, & tristi supercilio, obstipo capite, figentes lumina terris. Hi quondam apud Gallos (siue interpretandæ religionis, siue solitudinis gratia, quo expeditiores inquirendis rerum causis essent) in nemoribus, & saltibus consedêre, multitudinemq; uulgi ad se pellexêre.

Postea

Postea autem quam Tiberius Cæsar ipsos propter factiones (quarum duces erant) Gallijs excedere iussisset: illi in Germaniam cõmigrauêre, & sub Carolis, Arnolphis, & Othonibus Christianam religionem interpretantes: totam Hercyniam in amœnis, ac irriguis uallibus, aprorum, & ceruorum saltibus, sub annosis, & nigris quercubus (à quibus cœnobiorum suorum nomina sunt) occupauêre, &c. Magnum ibi numerum uersuum edisce re coguntur.) Sic & apud Papistas Cartusianorum mysterijs initiati, totum Psalterium uerbotim edisce re cogun tur. Sed ab alijs post mortem transire ad alios.) Id quod nimirum ex Pytagoræ placitis hauserãt: is enim μετεμψυχωσιν tradebat, de qua lege Ouidium lib. μετα. 15. Circumse ambactos.) Sextus Pompeius, Ambactus, inquit, lingua Gallica apud Ennium actus dicitur. Vnde colligo Cæsarem hic per istam uocem seruos significare: qui ob uaria herorum negotia iam huc, iam illuc circum aguntur. Alij immani magnitudine simulachra.) Eandem rem Strabo in præcitato loco narrat paulò aliter. Magnam, inquit, ex fœno statuam aptantes, eiq; lignum iectantes, pecoráq;, & uarias immitentes beluas atq; homines, holocaustum faciebant. Quæ superauerint animalia.) i. quæ superfuerint cladi, sic sæpe & Virgilius, & Liuius loquitur. Ab paruulis laborí, ac duritiæ studeant.) Eadem fermè Pom. Mela li. 3. in hæc uerba scribit: Qui Germaniã incolunt, immanes sunt animis, atq; corporibus, & ad insitã feritatem uastè utraq; exercẽt, bellando animos, corpora ad cõsuetudines laborũ: maxime

maximo frigore nudi agunt anteq̃ puberes ſint, & longiſſima apud eos pueritia eſt. Hactenus Mela. Quod ſi quis plura de ueteribus Germanis legere cupit, Cornelij Taciti libellum de ſitu, & moribus eorundem euoluat.

Vulgò Tectoſages occuparunt.) Vbi Tectoſages Galliæ Narbonenſis populi habitârint, & quorſum præ hominum multitudine migrauerint non tantum Cæſar hic, uerumetiam Strabo lib. 4. commemorat. Tectoſages, inquit, Pyrenæis propinqui ſunt montibus, paululum etiam Cemmenum attingunt ex Aquilonis latere, auriferaḿq; colunt terram. Potentia uero, & hominum robore quondam ualuiſſe uidetur, adeo ut incidente ſeditione, magnum è ſuis numerum domo eiecerunt: ad eorum uero fortunas communicandas alij alijs ex gentibus conuenêre, è quibus hi ſunt, qui finitimam Cappadotiæ, & Paphlagoniæ Phrygiam occupauerunt. Porrò quæ loca iuxta Herciniam ſyluam Tectoſages occupauerunt, Rhenanus lib. 1. Rerum Ger. explicat, dicens: Tectoſagum gentem Nicri, hoc eſt, Necari ripam accoluiſſe: quo loco adhuc uetuſta arx uiſatur, quæ Dackenſibus poſtea ducibus nomen dederit, Germanice DieVon Deck. De quibus legito plura apud eundem Rhenanum in caſtigationibus libelli De ſitu, & moribus Germanorum Cornelij Taciti. Oritur ab Heluetiorum, Nemetum.) Beatus Rhenanus homo in indicandis, & corrigendis ueterum monumentis exquiſitii iudicij, hunc locum ſic & caſtigat, & exponit lib. 3. Rerum Germanicarum. Siquidem pro Nemetum, Venetum, & pro Rauracorum, Tauracorũ legit. Ac per illos quidem Veneti hoc eſt, Cellenſis lacus accolas: per hos hos uero

Turgæos

Turgæos intelligit. Ne quis autem miretur Hercyniam ſyluam, in Thurgæano tractu, & ad Venetum lacum oriri ſolitum, addit coniecturam ſuam: illum uidelicet olim latiorem fuiſſe, & Hercyniam ſyluam ad hunc uſq; lacũ Iulij Cæſaris ſæculo pertinuiſſe. Quod uero noſtra ætate eò nõ pertingat, in cauſa eſſe: quòd Ro. eam ſyluæ partem exciderint, & à latrocinijs repurgauerint. Porrò ne quid diſſimulem Conradus Celtis neſcio qua authoritate fretus, Hercynium ſaltum non ab Heluetiorum finibus, ſed ab Arduenna (Sic enim iſthic pro Ardemia legendum) ſylua incipere author eſt: quæ, quum in Belgio ſita ſit, & à Rheno Treuiros, (ut Cæſar infra teſtatur) Neruios, Rhemos, ac Menapios attingat, longiſsimè ab Heluetijs diſsita eſt. Quo fit ut Cæſaris (qui noſtram terram peragrauit) & Rhenani ſententiam magis approbem: primũ quod Eremitana in Heluetijs ſylua non tantum à ueteribus accolis, uerumetiam à ſuperſtitioſis Germaniæ inferioris peregrinatoribus etiamnum opaca, ſeu tenebroſa uocatur. Vnde colligi poteſt, Iulij temporibus eam multò maximam, & opaciſsimam fuiſſe: quippe quæ incædua, & inhabitabilis eſſet, quæ nunc & cæditur, & ab elegante uico inhabitatur. Ab ea ergo pinifera, & picearia, & opaca ſylua Hercynium nemus in Heluetijs ſecundum Iulij ſententiam oritur: in qua Menradus inſignis Eremita diu, multumq; Deoſeruiens, tandem à latronibus circumuentus, & occiſus eſt. Deinde Rhenani ſententiæ eam ob cauſam accedo, quod & Beroaldus pro Rauracorum, Tauriacorum legit: à quorum populorum ſitu Nemetes, hoc eſt, Spirenſes, longè, lateq; diſsiti ſunt, Venetus autem la-

eus ijſdem conterminus eſt: Hinc nimirum ſe Hercynium nemus Friburgum Briſgææ uerſus extendit, ac inibi ea de cauſa, quam ſupra attigimus, nigra ſylua ab hominibus noſtris adpellatur. Et Anartium.) Quos Cæſar hic Anartes uocat, eoſdem eſſe puto, quos Strabo lib. 11. in Aſiaticæ Scythiæ deſcriptione, Anariacas: & quos Plinius lib. 6. cap. 16. Anariacos appellat. Eiuſq; opinionis occaſionem cum Volaterranus, tum Vadianus noſter in annotationibus ſuis in 3 Melæ librum, dederunt. Nam quum ille Hercyniam ſyluam ad Dacos uſq;, & Getas: hic uero ad Sarmatas, Rhiphæos monteis, Meotim paludem, ipſaq; Aſiæ confinia pertingere dicat: per Anartes Scythas Aſiaticos intelligo. Niſi forte Aranitiũ κατὰ μετάθεσιν, καὶ συγκοπὴν legendum putes, ut ſint Pannoniæ inferioris populi: quos Cornelius Tacitus in libello De ſitu, & moribus Germanorũ Araniſcos uocat. Rectaq; fluminis Danubij regione.) Hoc nimirum innuit Cæſar, quod Volaterranus li. 7. Geographiæ refert: Hercyniam ſyluam per mediã Pannoniã à dextra, & per Poloniam à ſiniſtra uſq; ad Dacos, & Getas pertinere. Porrò iuxta Rhenani interpretationem, per læuam Danubij ripam, barbarica: per dextram, Romana terra intelligenda eſt. Neq; quiſquàm eſt huius Germaniæ.) ſuple quæ Dacos, Pannonios, & Sarmatas attingit. Nã ſi de omnibus Germanis hoc intelligas, Cæſar pugnantia dixiſſe uidebitur: utpote qui ſupra dicat ſe ex Vbiorum exploratoribus didiciſſe, quod Sueui ad initium ſyluæ Bacenis (quam eandem cum Hercynia eſſe ſuperius demonſtrauimus) Romanorum exercitum expectaturi eſſent: item quando paulò ante

lò ante ipse affirmat, initium istius syluæ ab. Heluetiorum finibus oriri. Quod dubio procul Germani trans Rhenũ proximi æque sciuerunt, ut Cæsar. Itaq; (ut præmonui) locus iste de ulterioribus Germanis Hercyniæ accolis, non de citerioribus intelligendus est: qui indubie illius principium ex Heluetijs, Tauriacis, & Veneti lacus accolis facile perdiscere poterant, idq; ex confinio, ac mutuo rerum commertio. Est bos cerui figura.) Hic bos Indico boui unicorni non admodum dissimilis est: quem Plinius lib. 8. cap. 2. describit. Sunt item quæ appellantur Alces.) Idem Plinius li. eodem ca. 15. longè aliam Alcis figuram tradit, q̃ Cæsar. Non enim capræ eam similem facit, sed iumento: excepta aurium, & ceruicis proceritate. Plinij sententiã magis probo, quod olim Cracouiæ in Musarum castris sub Rodolpho Agricola iuniore peritissimo duce Anno 1516 circiter quadriennium militans, Alcem ea specie in foro (quem circum isthic uocant) uenalem conspicatus sum, qua Plinius eam depingit. Fieri autem potest, ut Cæsar ex aliorũ relatione hæc scripserit, ideoq; & falsus sit. Crura sine nodis &c.) Videto Plinium de Elephantis eadem scribentem. Qui Vri appellantur.) Plinius in iam citato loco Vros ad hunc modum describit: Germania gignit insignia boum ferarum genera, iubatos, bisontes, excellentiq; & ui, & uelocitate Vros: quibus imperitum uulgus bubalorum nomen imponit, quum eos (sic enim legendum puto) gignat Africa uitulĩ potius, ceruíue similitudine. Porrò & istorum boum ingẽs copia hyberno tempore ex Hercynia sylua (quæ Poloniã, ut dictũ est, penetrat) Cracouiam adfertur: atq; simul cũ

alia ferina in foro, perinde ut apud nos cicurum aliarum animantium carnes in macello, uenundatur. Cæterum si Macrobio lib. 6. Satur. cap. 4. credimus, Vri Gallica uox est, qua feri boues notantur. Ab labris argento circũcludunt.) id est, eam cornuum partem argento inducunt, quæ labris bibentum admouetur. Cæsar postquam per Vbios exploratores &c.) À prælonga (ut monuimus) egressione ad institutam historiam nunc egreditur.

Per Arduennam syluam, quæ est totius Galliæ &c.) Strabo lib. 4. Arduennam ita describit: Sylua est procerarum arborum, permagna quidem, uerum haud magnitudine tanta, quantam rerum scriptores tradiderunt, stadijs millibus quaternis: eam uero Arduennam uocant. At contrabellorum impetus, spinosos dumorum ramos inuicem texentes irruptiones occludunt &c.) Qui sanè Strabonis locus nonnihil lucis sequentibus Cæsareanis uerbis addit, ubi ait magnam copiarum partem Ambiorigis se in Arduennam syluam abdidisse. Vt sunt ferè domicilia Gallorum, qui uitandi æstus causa &c.) Hac de re uide to supra Cæsarem lib. 5. ubi Britannorum, Gallorum, & Germanorum ueterum, eandem propemodũ ædificandi rationem ostendimus. Taxo se exanimauit.) Quo pacto id fieri potuerit ex Plinij uerbis lib. 16. cap. 11. sub ipsum finem manifestũ fit. Inibi enim asserit Taxo mari noxium esse fructum: lethale baccis in Hispania præcipue uenenum inesse: uasa etiam uiatoria ex ea uinis in Gallia facta mortifera esse. Adhæc in Arcadia eandem tam præsentis esse ueneni, ut si qui sub ea dormiant, cibúmue capiant, moriantur. Segni &c.) Sunt (inquit Hubertus)

Segni,

Segni, qui oppidum, quod Signacum in Condrusis uocãt, inhabitant: exiguũ quidem hodie, sed miram profecto uetustatem referens. Condrusi (eodem teste) Gallicè nunc Condrotz: quorum metropolis Homm appellatur.

Ad finitimas ciuitates &c.) ut Romandorum, Neruiorum, & Menapiorum. Id castelli nomen est &c.) Hubertus Leodius refert, huius nominis castellũ etiamnum extare, atq; non plusquam dimidio Germanorum milliario ab urbe Leodio distare: in medijs quoq; Eburonum finibus, in maxima situm planitie. Idem asserit, se uetusti, & manuscripti exemplaris beneficio depræhendisse, pro Vatuca, & Varuca legendum. Ad flumen Ascaldem, quod influit in Mosam &c.) Idem Hubertus mendam in hoc Cæsaris loco esse putat, & pro Ascalde Sabim legendum: eo quod hic, non ille in Arduennæ syluæ finibus labatur, & iuxta Namurram in Mosam se exoneret. Sicambri, qui sunt proximi Rheno &c.) Quia ille idem Hubertus αὐτόπτης hunc locum illustauit, In studiosorum gratiam non grauabor illius illustrationem huc adscribere. Sicambri, inquit, qui ultra Rhenum è regione Vbiorum, aut paulò infra habitabant. Et paulò post, quando Cæsar ait: Vbi pons erat imperfectus, hoc est, duobus milliaribus Germanicis infra Coloniam Agrippinam. Ad impedimenta, legionemq; &c.) suple quæ ad Vatucam castellum impedimentis præsidio erat. Quibus iam libet.) mendum est, pro licet, ut & Beroaldi exemplar habet. Nouem oppositis legionibus.) Scilicet præter suã. Supra nanq; Cæsar dicit, T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum missum, C. Trebonium cum pari nu-

mero in eam Eburonum partem, quæ Aduaticis adiacet. Ipsum deniq; Cæsarem cum tribus legionibus ad Ascaldem fluuium concessisse. Erat æger in præsidio.) Hinc, & ex superiori loco uides Grammaticorum differentiam inter ægrum, & ægrotum non esse firmam.

Cuius mentionē superioribus prælijs fecimus.) scilicet lib. 2. sub finem. Relinquit animus Sextium.) id est, examinatur. Alij cuneo facto.) Vegetius lib. 3. ca. 19. Cuneū ait peditum multitudinem uocari, quæ iuncta cū acie primum angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem, inquit, milites uocant caput porcinum. Cuius rei typum conspice apud Aelianum in libello de instruendis aciebus. Et de Accone.) De hoc lege initium istius libri. More maiorum.) scilicet Romanorum. Quo autem modo in seditiosos prisci Romani animaduerterint, infra lib. 8. de bello Gallico patet. Ibi nanq; Cæsar scribit, Cutruatū seditionis Carnutanæ authorem ita ab ipso neci datum: ut corpus uerberibus exanimatum securi feriretur.

ARGVMENTVM LIB. VII.
DE BELLO GALLICO.

Principio totius Galliæ Transalpinæ defectionē, eiusq; causam describit. Deinde quibus modis cum Vercingetorige Gallorū rege tumultuariè creato bellum gesserit: utpote quæ oppida partim se ei ultro dediderint, partim uero summa ui, & industria expugnata sint. E quorum po-

stremorum

ſtremorum numero Genabum eſt, Auaricum, & Alexia: quorum & oppugnationem, & expugnationem graphicè & ſuis coloribus depingit. Tandem Vercingetorige profligato, Gallorum deditionem, Heduorum, & Aruernorum prærogatiuam commemorat.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBRVM VII. *Io. Rhellicani Annotationes.*

VT OMNES *Italiæ iuniores coniurarent.*) *Appianus li. 2. bellorum ciuilium refert, poſt Clodij mortem, ingentem ſeruorum, & agricolarum manum à Milone cõductam eſſe: eamq; (Populo Romano, & M. Cæcilio pecunia priùs corrupto) in urbem irrupiſſe. Plura iſtius hiſtoriæ Aſconius Pædianus, & Cicero in oratione pro Milone attingunt.* Eæ res in Galliam Tranſalpinam &c.) *Occaſio defectionis, & conſpirationis Gallicæ.* Genabin *dato ſigno concurrunt.*) *Ptolemæus uoce nonnihil deflexa Cenabum nominat, Iucundus uero & Cæſar infra Genabum, & Aureliam nunc uocari, Gallicè Orleans, author eſt ille.* Spatium eſt millium paſſuum circiter centum 60. &c.) *Carnutes ab Aruernis longiſsime diſtare*

stare; Europæ tabula ostendit: & utriusq; gentis positus, & recens nomenclatura superius indicata est. Ex oppido Gergobia.) quod Cæsar infra Gergouiam uocat, & nunc testibus Iucundo, & Sabellico clarus mons appellatur, & in Aruernis situm est. Reliquosq; omneis, qui Oceanū attingunt.) Vt sunt Bituriges, Santones, & Tarbeli, uelut ex modò citata Ptolemæi tabula liquet.

Virtute Cn. Pompeij.) Idem Appianus in paulò ante allegato loco asserit, in maximo uidelicet tumultu ob Clodij cædem facto, Pompeium consulem absq; collega ita creatum esse, ut Dictatoris officio fungeretur. Quàm gnauiter uero tumultum sedauerit, Cicero pro Milone demonstrat. Ad Nitiobriges, & Gabalos.) Ptolemæus in Europæ tabula Itiobriges, & Talabos uocat: eosq; in Aquitania ponit. Strabo autem in 4, & Plinius lib. 4. cap. 19. in appellandis his populis cum Cæsare sentiunt: quorū prior Rhutenos, & Gabales Narbonensi terræ proximos, posterior autem Gabales Aquitanis attribuit. Narbonem uersus &c.) Vnde tota prouintia nomē sortita est, Pomponio Mela lib. 2. in hæc uerba testante: Sed antestat omnis Atacinorum, Decumanorumq; colonia: unde olim ijs terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus est Martius Narbo. Deducta est autem hæc colonia Portio, Martioq; Coss. authore Velleio Paterculo, in posteriori uolumine ad M. Vinicium Cos. Prouintialibus Volcis, Artonicis, Tolosatibus.) Prouincialibus tanquam genus præmittit, ac deinde populorum species, qui in Narbonensi Gallia siti sunt, subnectit. Porrò Volci (ut Iucundus declinat) seu Volcæ (ut apud Ptolemæum legitur) Gallicò

lice nunc Auignon, & Artomici Armignac uocantur, & Tolosates à Tolosa colonia dicuntur: quos Plinius Tolosanos nominat. In Heluios.) Strabo lib. 4. Eluos uocat, eosq; inter Garumnam, & Ligerim fluuios sitos esse tradit, & à Rhodano initium capere. Idem Gallicè nunc Albin appellantur. Cebenna, qui Aruernos ab Heluetijs discludit.) In Sabellico (ubi hãc historiam recitat) ab Heluetijs sed mendose legitur. Heluetij nanq; longiùs ab Aruernis distant. Ideoq; uero non dissimile est librariorum incuria hunc errorem commissum esse. Vienam.) supple Allobrogũ, Altera enim & celeberrima qui dem urbs Austriæ hoc quoq; nomine gaudet. Gergobiam Boiorum oppidum.) Geminæ ergo Gergobiæ sunt, una Aruernorum, de qua paulò superius, & altera Boiorum. Cæterum de Boijs in Heduorum finibus collocatis uide supra lib. 1. Duabus Agendici legionibus.) Agendicum Celticæ Galliæ oppidum est, inter Senones, & Turuuios positum, & iuxta Marliani, & Iucundi sententiam nunc Gallicè Aprouins uocatur. Ad oppidum Senonum Vellaunodunum.) quod Agendico, ac Genabo Lugdunensis Galliæ oppidis uicinum est, & si Iucundo assentimur, uilla noua iam in Lotharingia uocatur.

Ab oppugnatione desistit.) supleto Gergobiæ Boiorũ. Superius enim Cæsar scribit, Vercingetorigem rursus exercitũ suum in Bituriges duxisse: atq; inibi Gergobiæ Boiorum oppugnationem incepisse. Nouiodunum.) quod Gallice nunc Noion, uoce nonnihil corrupta (ut supra lib. 2. annotatum est) appellatur. Alterum, inquit Volaterranus, huius nominis oppidum est proximum Pa-

risijs, in Prouintia Rhemensi, & tertium Heduorum.

Auaricum.) Quod uulgo nunc Viaron uocatur, teste Marliano. Quod anni tempore subleuentur.) suple hyberno. Hæc enim hyemali tempore gesta esse, duo superiores loci arguũt. In quorũ uno ait Cæsar se Gebennam montem, licet altissima niue obrutum superasse: altero, ubi de belli gerendi difficultate agit, dicens: Si reliquam partem hyemis uno in loco legiones contineret. Huc adde, quòd Cæsar alibi dicit, Nullam fermè hyemẽ prætermisisse, quin Galli ad defectionem spectauerint: propterea quòd Romanis sub cœlo clementiori natis, hoc anni tempus ad bellandum inhabile, Gallis uero frigoribus assuetis aptissimum esset. A' Boia.) hoc est, à regione Boiorũ, quorum oppidũ Gergobiam, Vercingetorix oppugnauerat.

Harum ipsis rerũ copiam suppetere.) Ipsis, suple Gallis cum Vercingetorige militantibus. Suppetere copiam harum rerum, scilicet uicorum, ædificiorum, pabulationis & commeatus. Hæc si grauia, aut acerba uideantur &c.) Occupatio est, q.d. Scio uobis grauia uideri quæ consulo: at interim cogitate multò grauiora, adde etiam inhonestiora esse, quæ uobis patienda erunt, si meum consiliũ neglexeritis. Quorum alteri) suple Hedui, alteri scilicet Boij. Non enim ita multò post Cæsar ipse Heduorum indiligentiam, & Boiorum facultates tenueis in causa fuisse dicit: quo minus commeatu iuuaretur. À me prouisum est.) suple per uicorum, ac oppidorum incendia.

Quantum has cotidianus agger expressérat.) id est, quàm altæ fieri poterant, sitæ uidelicet in aggere, qui cotidie actus erat. Commissis suarum turrium malis.)

Quum modò dixerit Cæsar Auarici mœnia ab oppidanis turribus undiq; contabulata, & superius duas turreis ambulatorias à se contra illos excitatas scribat: dubio procul nihil aliud hic significare uult, quam quod Auaricenses Romanorum turreis ad muri altitudinem ductas suis, turribus ita adeo adæquauerint, ut malos, id est, trabes instar mali muro commiterent, hoc est, insererent. Etenim eiusmodi turres (Vegetio authore) non nisi ex tabulis, & trabibus fiebant. Trabes directæ, perpetuæ.) id est, continuæ. Eæ reuinciuntur extrorsus.) supple alijs trabibus, seu commissuris per transuersum positis. Quæ rectis lineis.) supple per amussim ductis. Ab ariete materia.) id est, lignum, sicuti robur est, descendit. Quæ.) supple materia plerumq; introrsus reuincta. Perpetuis, id est, cõtinuis trabibus. Pedes quadragenos) hoc est, ut singulæ materiæ singulis trabibus quadragenos pedes longis reuinctæ essent. Aries autem (Vegetio lib. 4. cap. 13. teste) testudinis caput ferro munitũ dicitur, eo quod durissimam frontem habeat: quæ muros subruit, uel quod more arietũ retrocedit, ut cum impetu uehementius feriat. Hæc ille. Porrò Ammianus Marcellinus lib. 23. eum hoc modo describit: Hinc ad arietem uenimus. Eligitur abies, uel ornus excelsa: cuius summitas duro ferro cõcluditur, & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem: quæ forma hoc machinamento uocabulum indidit: & suspensa utrimq; transuersis asseribus, & ferratis quasi ex lance uinculis trabes alternis continentur: eamq; quantum mensuræ ratio patitur, altitudo retro repellens rursus ad obuia quæq; rumpenda protudit ictibus ualidissimis, instar adsurgẽtis,

& ceden

& cedentis armati. Qua crebritate uelut reciproci fluminis impetu ædificijs scissis in rimas concidunt structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis si fuerit exerto uigore discussum, nudatis uallo defensoribus, solutis obsidijs ciuitates munitissimæ recluduntur. Hactenus Ammianus. Porrò quantum ex uriusq; authoris descriptione intelligimus, machina illa bellica non dissimilis ei fuit, quæ apud maiores nostros ante bombardas inuentas, à felis similitudine Cattus uocabatur. Vtróq; enim instrumento mœnia concuti solebant, ac dirui. Quo autem alio contrario instrumento aries repelli potuerit: idē Ammianus post citata modo uerba indicat, qui uolet, eum legat.

Tum ad utilitatem, & defensionem urbium.) Vegetius lib. 4. cap 3. Cæsaris sententiam hoc modo confirmat. Murus, inquit, ut non possit elidi, hac ratione perficitur. Inter uallo uicenûm pedum interposito, duo intrinsecus parietes fabricantur. Deinde terra, quæ de fossis fuerit egesta, inter illos mittitur, uectibusq; densatur: ita ut à muro primus paries parum inferior, secundus longè minor ducatur: ut de plano ciuitatis ad similitudinem graduum quasi cliuo, molliusq; ad propugnacula ascendi possit. Quà nec murus ullis præter arietibus rumpi, quem terra cõfirmat, & quouis casu destructis lapidibus, ea, quæ inter parietes densata fuerit, ad muri uicem ingruẽtibus moles obsistit.

Reliquasq; res, quibus ignis excitari &c.) Vt sunt tæda & stupa. Quod deustos turrium uidebant.) Vegetius lib. 4. ca. 15. Pluteos ad apsidis similitudinem è uimin: cõtexi scribit: & cilitijs, uel corijs protegi, terniisq; rotulis: quarum una in medio, duæ in capitibus apponãtur. Et in

quamcunq;

quamcunq; partem uolueris, more carpẽtorum admoueri. Quos, inquit, obsidentes applicant muris, eorumq; munitione protecti, sagittis, siue fundis, uel missilibus defensores omneis de propugnaculis oppidi exturbant: ut scalis ascendendi facilior præstatur occasio. Et palus.) Paulò superius Cæsar ipse Auaricis situm describẽs, ait illud fermè ex omnibus partibus flumine, & palude circundatum esse. Perstare in sententiam uiderunt.) Rursus Græca dicendi forma usus est, pro in sententia. Singuli magistratus.) Supra lib. primo hunc magistratum ab Heduis Vergobretum uocatum esse scribit. Secundum flumen Elauer.) Ptolemæus in 3 Europæ tabula hoc flumen Canetellum uocare uidetur: id quod uel hinc conijcere licet, partim quod nullus Geographorum (quantũ ego scio) Elaueris meminit: partim quòd Aruerni (quorũ oppidum Germania in monte situ est) inter Ligerim, & Canetellum fluuios siti sunt. Vide Iucundum, & Marlianũ. Quintis castris.) id est, Castris quinquies metatis, ad quẽ modum T. Liuius sæpenumero loquitur, & cum ipse, tum alij historici eundẽ à Græcis mutuati sunt. Ita enim Lucianus in Veris inquit, narrationibus: Τριταῖοι γὰρ εἰς τὸν ὠκεανὸν ἀπήχθημεν, hoc est, Tertij, id est, tribus diebus in Oceanum delati sumus. Hortatur q; eos &c.) Suasoria est, in qua primum loco honestatis utitur: dum ait libertati, ac imperio eos natos esse, ideoq; turpissimum eis fore, si se nõ ex Romanorum seruitute in libertatem uindicent. Deinde per occupationem diluit, quod ab aduersario abijci poterat: uidelicet eum Cæsari malam gratiam pro beneficio in ipsum collato reddere. Fatetur itaq; se beneficio affectum,

ctum, sed in iusta causa: ideoq; se pluris facere communem totius patriæ libertatem, quàm priuatum uel beneficium, uel amicitiam Cæsaris. Continuò magnum numerũ frumenti.) Paulo superius Cæsar ait, equitatum omnem, & peditum millia decem ab Heduis petita: quæ in præsidijs rei frumentariæ disponerentur. Vnde colligo idem frumentũ à Litauici exercitu direptum esse. Epodorix summo loco natus adolescens.) Occasionẽ detecti dolĩ per Litauicũ nexi describit. In equitũ numero conuenerant.) supple qui Cæsari ab Heduis auxilio erant missi.

Nominatim ab eo.) supleto, Cæsare euocati, hauddubie eam ob causam (ut ipse Cæsar subiungit) quod parũ bene inter ipsos conueniret: & quod speraret ipsius cõsuetudine atq; impulsu fieri posse, ut in concordiã redirent. Ad cõtrahenda castra.) .i. ut angustiora faceret, Germanicè das er das lêger ynzogner machte. Quæ maxime illi hominum generi innata.) Illi hominum generi. i. Gallis omnibus. Supra enim lib. 4. hæc Gallicæ consuetudinis esse dicit, ut leuibus rumoribus, & auditionibus permoti: de summis sæpe rebus consilia ineant, quorum eos è uestigio pœnitere necessum sit. Ex oppido Cauillono.) scilicet Heduorũ, quod à Ptolemæo Cabullinũ, & Gallice nunc Chiallon uocatur, & ad ripas Araris positũ est. Qui fluuius negociatoribus ad negociandũ aptissimus erat. Omnem exercitũ contraheret.) Supra. n. dixit se in duas parteis exercitũ diuisisse, ita ut Labieno quatuor legiones in Senones, Parisiosq; ducendas dederit: ipse aũt sex in Aruernos ad Gergouiã oppugnandam duxerit. Vno colle ab Ro. occupato.) Paulo superius Cæsar, inquit, è regione oppidi collem

collem sub ipsis radicibus montis egregiè munitũ deiecto aduersariorũ præsidio, à se occupatũ esse. Timebant ergo Galli, ne alterũ adhuc residuũ collem occuparet, eosq; deinde totos circũuallaret. Mulionesq; cum Cassibus.) Elegãs stratagema est. Alio ascensu.) suple q̃ Ro. ac reliqui Cæsaris milites ascenderant. Legionisq; decimæ.) Qua cũ erat cõtionatus. Signa.) scilicet militaria cõstitêre.) Tria hic obseruanda sunt, primũ, quod signum indipiscendæ pugnæ per tubæ canũ dari solitum sit, quod classicũ canere uocant: & econtra dum milites à pugnando reuocabãtur, receptui dicebatur cani, ut scilicet se in sua reciperẽt. Deinde ideo nimirũ decimæ legionis signa, audito tubæ sono, primum omniũ constitisse: quod Cæsar illam (ut supra li. 1. apparet) Prætoriæ cohortis loco habuit, eãq; ob causam uero nõ dissimilé est, ab eo haud procul semp abfuisse. Postremò quũ ait, se cum eâdem legione concionatũ. Aut ita capiendũ est, quod propter uiciniam uerba ad milites fecerit, eosq; à pugnæ flagrantia reuocauerit: aut quod concionari hoc loco tuba militũ concioni signũ dare, ac receptui canere significet. Quorum posterius ut magis probem, aduersatiua particula At, quæ mox sequitur, facit. Si enim reliquarum legionum milites tubæ sonum propter loci distantiam exaudire non poterant, ideoq; nec consistebant: decimæ nimirum legionis cohortes (ob spacij propinquitatem) confestim tubæ cantum exaudiuerunt, eóq; moti, tanquam concio ad ipsos per imperatorem habita esset, à pugna destiterunt. Munitionis causa conuenerant.) Omneis enim (ut Cæsar paulò superius inquit) ad hunc locum muniendum à Vercingetorige euocati erant.

Suas

Suos obtestari.) *scilicet ut se strenue gererent, ne in hostium potestatem uenirent. Hæc nanq; subaudienda esse, præcedentia arguunt, cum inquit: Quæ Paulò ante Romanis de muro manus tendebant. Q. D. matres familiâs quæ antea nostris supplicauerant: iam uice uersa suos ad fortiter se gerendum cohortantur, & ut magis moueant, communes liberos in conspectum proferunt. Et sub infimo colle.*) *id est, infima collis parte. De eodem nanq; colle loquitur, quem hostes conferti occupauerant, & ex superiore loco pugnabant. Postero die Cæsar contione aduocata.*) *Oratio est obiurgatoria, in qua tamen obiurgationis acerbitatem ita temperat laudis admixtione, ut eos ab ipso ne tantillum quidem alienet. Ad Auaricum sensisset.*) *Illic enim ob collis æditi, & paludis difficultatem, suos cum hostibus iniquo loco decertare uoluit, eo quod ipsorum saluti consuleret. Quod uero hostium exercitum sine duce, & equitatu tum fuisse ait, hinc fit: quod supra dixit, Vercingetorigē cum equitibus, & aliquot expeditis peditibus, Romanis pabulatoribus insidias tetendisse tunc temporis. Tantopere licentiam, arrogantiam repræhen.*) *Militem suo Imperatori parere, non præire oportere, ex hoc loco discimus: & è contra quantū prudentiæ ab Imperatore requiratur, ne quid temere statuat.*

Eadem de profectione cogitans, quæ ante senserat.) *Quum. ij. Hedui subdolè cum Cæsare agerent, ac denuo de rebellione cogitarent, ipse (ut paulò superius scribitur) maiorem Galliæ motum expectans, ne ab omnibus ciuitatibus circumsisteretur, consilia inibat, quemadmodū Gergouia discederet &c. Eadem ergo nunc consilia exequi*

studet,

ſtudet, quæ iam pridem animo conceperat. Quamq; in amplitudinem deduxiſſet.) Quàm ampla Heduorum ditio, & quot clientes habuerint, inferius ex Iulij deſcriptione pateſcit: ubi ait ſe Heduis, atq; eorum clientibus Segusianis, Ambruaretis, Aulercis, Brãnouicibus, & Brannonijs militum millia triginta quinque imperaſſe. Quorũ nimirum magnam partem Cæſaris beneficio nacti erant. Ante nanq; illius in Galliam aduentum ab Aruernis, & Ariouiſto oppreſſi, pleroſq; omneis clienteis amiſerant.

Litauicum Bibracte &c.) De hoc oppido ſupra lib. primo ſcripſimus. Obſides ciuitatum ad magiſtratũ Bibracte deducendos.) Supra ab initio lib. 6. refert centum obſides Senonibus imperatos, & Heduis cuſtodiẽdos eſſe datos. Et oppoſitus mons Gebenna.) Cæſar ipſe paulò ſuperius ait, Aruernos hoc monte ab Heluijs diſcludi. Plinius uero lib. 3. naturalis hiſtoriæ cap. 4. refert, Narbonenſem Romanorum prouintiam ab reliqua Gallia ulteriore uerſus Aquilonem, Iura, ac Gebenna montibus diſcerni. Porrò quem montem Cæſar hic, ac Plinius in iam allegato loco Cebennam, Ptolemæus (quantum ex; Eupæ tabula conijcere licet) Cemmenorum monteis uocat. In qua ſententia & Hermolaum Barbarum hominẽ eruditionis raræ poſt aliquot annos quàm hæc primitus annotata ſunt, ex Vadiani noſtri ſuper Melam commentarijs fuiſſe deprehendi. Quod adiungi Labieno, atq; his legionibus &c.) Supra in hoc eodem li. ſcribit, ſe quatuor legiones in Pariſios, ac Senones Labieno ducendas tradidiſſe. Fluminis Sequanæ) quod Gallice (Lucũdo authore) Seina uocatur. Porro de Lutetia in ſuperioribus annotauimus.

uimus. Camulogeno Aulerco.) Quos Cæsar Aulercos, Ptolemæus Auliorcos, Lugdunensis Galliæ populos uocat: & Gallice Roan appellantur. Melodunum quod (iam sæpe dicto authore) Gallis recentioribus Francicis illis, Mellon uocitatur. À præsidio, atq; impedimentis.) suple quæ Agendici posita erant, ut Cæsar in hoc lib. superius commemorat. Maximum flumen.) scilicet Sequana. Paulò nanq; ante scribit, duas insulas in eo esse, in quarum una quidem Parisiorum Lutetia, in altera uero Melodunum sit positum. Metiosedum uersus missa.) Beroaldi exemplar Iosedum legit, cui Marlianus (nisi quod literam c addens, Ioscedum legit) dissentiens, oppidũ fluminis Sequanæ ripas attingere, Melodunoq; ac Lutetiæ Celtarum oppidis conterminũ esse dicit. Treuiri quod aberant longius.) Supra lib. 4. ait Rhenum per Treuirorum fines labi, ideoq; nunc dicit eos longius à reliquis Gallis dissitos fuisse, adeoq; à Germanis pressos: eò quòd Rhenus tantummodo Gallos à Germanis disterminaret.

Qui sunt finitimi ei prouintiæ.) scilicet Heduorum. Atq; hoc uerum esse tertia Europæ tabula confirmat. Nã si picturæ Ptolemaicæ credimus, Cemmeni (quos antea à Cæsare Gebennam dici admonuimus) montes tantummodo interiacent inter Segusianos (quos Ptolemæus Seguseacos uocat) & Heduos. Porro Segusiani secundũ Iucundi traditionem Gallicè nunc Bresse uocantur.

Quorum mentes nõdum à superiore bello.) suple quod cum Romanis gesserant: Id quod Cæsar ipse statim ab initio lib. 1. de bello Gallico tradit. Ciuitati autem imperium totius prouintiæ.) scilicet Narbonensis, cui Allobro

ges

ges finitimi erant, eò quòd eis Rhodanum Romanis habi
tabant. Cum finitimis prælio congressi.) Finitimis
ut sunt Gabali, Aruerni, Ruteni, Cadurci, Volcæ, Aremi
ci. Quòd minus idoneis equis utebantur.) Cæsar supra
lib. 4. testatur, Germanos praua, ac deformia iumēta olim
habuisse: hæc tamen cotidiano exercitio, summi ut essent
laboris efficere solitos. Galliáq; excedere.) scilicet re
liqua, ut Aquitania, Lugdunensi, & Belgica. Si pe
dites suis auxilium ferant.) δίλημμα est: Vtrocunq; enim
res cadat, hosteis magno afficiendos incommodo, certum
se habere dicit. Si pedites suis.) suple equitibus. Frequenti
tibus nanq; cum Romano exercitu prælijs didicerat Ver
cingetorix, Cæsarem Germanis uti equitibus: inter quos
pedites leuis armaturæ pugnabant. Fugientesq; usq;
ad flumen &c.) Ararim signari puto, propterea quod in
superiori pugna scribit Cæsar, se per extremas Lingonū
fines in Sequanos iter fecisse: ac Vercingetorigem circi
ter millia passuum decem ab Romanis, trimis castris con
sedisse. Alexiam, quod est oppidum Mandubiorum.)
Volaterranus lib. 3. Geographiæ Alexiam in Heduorum
finibus sitā esse docet, eamq; ad exiguū uicum redactam:
qui nunc Alsetum uocetur. Eadem urbs iuxta sententiam
Iucundi à Gallis nunc Lausoys dicitur, & in Burgundio
nibus posita est. Qui autem, & quales sint Mandubij popu
li, ingenuè fateor me ignorare: eo quod nullus ueterū Geo
graphorum (quantū ego scio) eorum meminerit. Nisi for
te ijdem sint Mandubij, quos Strabo lib. 4. Mandibulos ap
pellat: eosq; Aruernis finitimos esse affirmat.
Nostrum opus.) suple circumuallationis mœniorum

Alexiæ. Summa Labra.)id est,summæ ripæ, idq; iuxtà Græcorũ idiotissimũ:qui etiã τὸ χεῖλος ἀντὶ τῆς ὄχθης usurpãt. Pedibus 400 reduxit.i.retro duxit.Priscianus enim re præpositionem κατ' ἀποκοπὴν quasi retrò dictam putat.

Quarum interiorem.)scilicet uersus primam fossam.

Grandibus ceruis .)hoc est,stipitibus ceruinorum instar cornuum ramos habentibus. Agrestes Tigurini tales stipites uoce non dissimili serlen uocitare solent. De quorũ & aliarum munitionum formis eruditissimas Iucundi picturas,ac commentationes uideto. Is nanq; multum lucis urbium oppugnationibus(quas Cæsar describit)attulit.

Materiari.)hoc est, lignari, & materiam ad munitiones faciẽdas cædere. Siquidem materia proprie eauocantur ligna,quæ structuris seruiunt. Delibratis, id est, decorticatis cacuminibus. Acutissimis uallis se indu ebant .) id est,subdibus, uel tribulis ligneis per ordinem digestis se lædebant:hoc nanq; Valli (teste Vegetio lib.3. cap.8.)significant. In quincuncem dispositis .) Quid sit fæminis, hoc est, fœmoris crassitudine stipites in quincuncem disponere Budæus lib.1.de Asse, & partibus eius hisce tribus authoribus explicat: primum Fabio Quintiliano,qui in 8 sic scribit: Nullus ne frugiferis adhibendus decor? Quis negat? Nam & in ordinem, certaq; interualla redigam eas arbores. Quid illo quincunce speciosius? qui in quamcunq; partem spectaueris,rectus est. Deinceps Cicerone in li.de Senectute,ubi in hæc uerba inquit:Cum autem miraretur Lysander & proceritatem arborum,& directos in quincuncem ordines,& humũ subactam, atq; puram,& suauitatem odorum, qui afflarentur è floribus,

tum

tum eum dixisse: mirari se nõ modo diligentiam, sed etiam solertiam eius. Postremum Demosthene, in Oratione, quæ πρὸς Νικόστρατον inscribitur, in qua sic ait: καὶ τὰς ἀναδένδρους ῥάδλας ἐξέκοψε, καὶ φυτευτήρια ἐλαιῶν περιεσοίχων κατέκλασε, id est, arbustiuas uites excidit, & oliueta in uersus quoquouersum digesta confregit. Xenophon ipse (inquit Budæus hoc uelut auctarij uice subnectens) ex quo Cicero transtulit, ita scripsit: ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζε αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στοίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη. id est, Cum autem locum consitum miraretur Lysander, quod decoræ essent arbores, & stirpium consitarum æquabilis series, ita in uersus directos configurata uideretur, ut ad angulos rectos pulchrè exacta essent omnia. Ex quibus uerbis cum Ciceronis collatis conijcere statim possumus, quid sit quincuntialis ordo: etiamsi nondũ intelligimus, cur ita, appellatus sit. Fortasse autẽ sic antiqui quincuncem appellauerunt exactam plantarum metationem, ut decussem exactam spatij diuisionem. Hactenus Budæi uerba recensuimus, ex quibus colligi potest, quid sit, stipites fœminis crassitudine in quincũcem disponere: nimirũ ita, ut quoquouersus eos aspicias, ordines, & angulos rectos intuearis. *Ab infimo solo.*) Exemplar Aldinum, & Vuolfianum hic perquàm corruptum est, post uocem enim pedes omittit, treis: & pro occultabantur (ut Beroaldinus, & Gryphianus codex rectè habet) exculcabantur legit. *Quos stimulos nominabant.*) Hirtius infra li. 5. bellorum ciuilium eosdem stimulos stilos cæcos, nostrates uero uulgo fuosfysen appellant. Contra exteriorem ho-

ſtem.)ſcilicet,qui in oppido non erat. Ambruaretis.) qui Brabantiæ partem tenent. Brannouicibus.)qui à Gallis nunc Lauall de Moriana, Et Brannonijs.)qui ab ijſdē de Blano(unica litera immutata)dicuntur. Quod ſi autem Marliani lectionem(qui pro Brannonijs, Blanonijs legit)ſequimur:ſuum nomen etiamnum retinent.

Heleutetis.) Hi quatuor populi in Aquitania ſiti ſunt, quorum Cadurci, Caors:& Vellanij, San Flor Gallicè nominantur. De ſequentibus populis in ſuperioribus magna ex parte diximus. Curioſolites ſecundum Volaterranum Conſopitenſes,iuxta Marliani autem,& Iucundi ſententiam Gallice Cornouaide iam uocitantur.

Redones.)Renes. Ambibarij.)De his nihil inuenio apud quenquam, præter Marlianū, qui eos Celticæ Galliæ annumerat circa Britanniam citeriorem,& Normanniam. Cadetes.)Gallicè Hipercorentin en Bertegne. Qui populi omnes Lugdunenſi Galliæ uendicantur, & Oceanum attingunt. Ita ut antea demonſtrauimus.) ſuple li.4. ſub finem, Vbi ait,Se Comiū regem Atrebatibus uictis dediſſe: & eius opera plurimum eſſe uſum.

At ij,qui Alexiæ obſidebantur.) Hactenus Gallicanū delectum, & copias deſcripſit: nunc ad Alexiæ obſidionē redit. Nihil inquit de eorum ſententia.) Oratio iſta Critognati, Generis eſt ſuaſorij:in qua primū aduerſariorum ſententias ualidis rationibus diluit: Deinde ſuam ſubiungit,nempe ſibi conſultum uideri,ut omnia citius,& patiantur,& deſignent,quàm aut ſe hoſtibus dedant:aut per eruptionem & ſe, & totam Galliam in diſcrimen conijciant. Tametſi enim ſuum conſilium de deuorandis hominibus,

bus, qui bello inutiles sunt, prima fronte satis crudele sit: tamen id toti Galliæ & honestum, & frugiferum fore, si assentiantur. Ne autē tam immane consilium exemplo carere putent, id quoq; à maioribus suis captum esse probat: quod per locum à minore ad maius, & per collationē partium inter sese amplificat. Respicite finitimam Galliam.) suple Narbonensem. Securibus subiecta.) id est, Romano imperio, ut signū μετωνυμικῶς, pro re signata ponatur. Fenestella nanq; tradit duodecim lictores cum uirgarū fascibus securim Cōsuli prætulisse. Vnde sæpe apud Liuium legitur, fasces erant apud Fabium, id est, Fabius consulem agebat. Cedentes.) suple Gallos ad castra usq; insecuti sunt. Harpagonum numero effecto.) Vegetius lib. 2. ca. 25. ait, Legionem inter alia ferramenta, etiam ferreos harpagones (quos lupos uocant) habere.

Fundis libralibus.) id est, quæ libræ pondus æquabant.

Glandibus.) id est, plumbo in glandis modum fabrefacto, ut interpretatur Pompeius. Aut in scrobes delapsi transfodiebatur.) suple à teretibus stipitibus fœminis crassitudine. Musculos &c.) Teste Vegetio lib. 4. ca. 16. minores machinæ uocantur: quibus protecti bellatores, si lutum obfuerit, aut ciuitatis fossatum, apportatis lapidibus, lignis, ac terra, non solum complent, sed etiam solidāt: ut turres ambulatoriæ sine impedimento iungantur ad murum. Vocantur autem à marinis beluis musculi. Nam quemadmodum illi, quum minores sint, tamen balenis auxilium, adminuculumq; iugiter exhibent: ita istæ machinæ breuiores deputatæ turribus magnis, illarum aduentui parant uiam, itineriq; præmuniunt. Exiguum loci,

Beroaldi exemplar iniquũ legit. Vtrancunq; autem lectionem sequaris, perparum refert. Ea, quæ occultauerant in terris.) Vt stipites, & taleas. Interiores.) scilicet Galli, qui in oppido Alexia agebant, & eruptionem frustrà iam fecerant. Cabilonni.) idem oppidum est, quod supra Cauillonum appellatur. Matisconæ.) hæc urbs uoce nonnihil truncata Macon iam uocatur.

ARGVMENTVM LIB. VIII. DE RELICTORVM A. HIRTII DE BELLO GALLICO.

Principiò, Nouam Gallorum defectionem, ac bellum cum Biturigibus gestum describit. Secundò, Carnutes fugatos. Tertiò, Bellouacorum, ac reliquarum ciuitatum deditionẽ. Quartò, Quibus modis Cæsar exercitũ suum in uarias Galliæ parteis diuiserit. Quintò, Caninij bellũ cum Dumnaco Andium duce gestũ. Sextò, Eiusdem bellum cum Drapete Senone, & Lucterio Cadurco gestum: ubi & Vxelloduni oppugnationem graphice depingit. Septimò, In quas Galliarum regiones Cæsar exercitum in hyberna dimiserit. Octauò, & ultimò eiusdem profectionem in Italiam: & quæ ciuilis belli inter Pompeium, & Cæsarem semina extiterint, docet.

IN

IN AVLI HIRTII DE-
RELICTORVM DE BELLO
GALLICO LIBRVM VIII. IO.
Rhellicani Annotationes.

VLI HIRTII derelicto-rum.)Hirtij istius mentionem fa-cit Ci.li.7.Epistolarum ad Atti cum in prima epistola sub finem. Et ex eiusdem lib. epistola (quæ incipit, Dionysium flagrantem) cum Hirtium, tum Balbum (cui hic liber dedicatus est) Cæsaris studiosissimum fuisse ap-paret. Cæterum Hirtius in tota ista præfatiuncula nihil aliud agit, quam ut primum ostendat: quos libros post Cæ-sarem scripserit. Secundo arrogantiæ, ac temeritatis cri-men deprecatur: & obiter Cæsarem laudat, cum ob scri-bendi facilitatem, tum elegantiam simulq; rationem red-dit, cur Cesar ipse suarum rerum commentarios scripserit

Superioribus, atq; insequentibus eius scriptis.)suple 7 libris, de bello Gallico, Tribus de bello ciuili. Imper-fecta.)scilicet Cæsaris scripta. Nam Alexandrinum bel-lum non ad finem usq; descripserat. Cuius finem nul-lum uidemus.) Bene dicit, Nam finita dissensione inter Cæsarem, & Pompeium, noua inter Octauium, Antoniũ, Lepidum, Cassium, & Brutum orta est: de qua Appianus lib.3.bellorum ciuiliũ, Suetonius in Augusto, Plutarchus in Antonio, & Bruto. Tamen aliter audimus ea.)

Rectè. Nam si usquam illud Plauti locum habet, in historia fideliter scribenda uel maximum tenere oportebat, ut unus oculatus historiographus pluris fieret, quàm auriti decem. Quum enim nõ nisi certa scribenda sint, nemo certe cõmodius ea perscripserit, quam αὐτόπτης: siue fidem, siue perspicuitatem in narrando consideres. Pridie Calendas Ianuarias.) id est, Vltimo Decembris. In finibus Biturigum &c.) Ad finem lib. 7. Cæsar ipse testatur, T. Sextium cum legione una in Bituriges esse missum.

Quæ proxima fuerat &c.) Eam nimirum intelligit, quam C. Caninio Rebilo in Ruthenos ducendam dederat. Siquidem hi populi à Biturigibus non longè absunt.

Defectisq; fuit necesse &c.) Beroaldus deiectis legit: sed utrunq; fortassis perperam. Nam quum defetiscor haud dubie prioris participij thema sit, secundum Prisciani sententiam, pro defectisq; legendum foret. Quæ lectio cum sequentibus probè quadrat, statim nanq; sequitur, Bituriges operi rustico præ belli securitate intentos fuisse. Deinde conijcio Beroaldum pro deiectis, disiectis potius legisse: propterea quod & hæc lectio magis ad sequentia facit. Cũ enim Cæsar Bituriges deimprouiso rura colenteis adortus sit: nimirum eos palanteis, ac disiectos aggressus est. Nisi forte quispiam defectus à deficeor, id est, relinquor (Teste eodẽ Prisciano) deriuari putet. Quod uerbi apud Aldũ, & qui eum secuti sunt paulo inferius ponitur. Vbi tamen Beroaldus deficeret, non deficeretur, legit. Atq; ita participium defectus (teste Lau. Valla) actiuam haberet significationem. ut sit sensus: Defectisq;, hoc est, ijs qui defecerant in uia. Sic nanq; & Martialis, & Fabius usurpa-

uêre, quorum ille ita canit: Dulcia defecta modulatur car
mina lingua Cantator cygnus funeris ipse sui. Hic uero
ad hunc scribit modum li. 6. Oratoriarum institutionum.
Defectáq; labore senectus, magna pars mortis, nihil mihi
reliquit, nisi dilgentiam. Ducenos sestertios.) id est,
singulis ducentos. Porrò sestertius iuxta Budæi traditio-
nem æreus nummus erat, ex eo sic dictus, quod duos asses,
& semissem ualeret, hoc est, duas libras æris grauis: & seli
bram, quorum quatuor uno denario Rhomano ualebant.
Sestertia autem numero plurali, & genere neutro dicun-
tur, quòd singula duas libras, & selibram argenti ualerēt
hoc est ducentos, & ſo denarios, siue mille sestertios, quod
idem est. Centurionibus duo millia numûm.) id est,
ſo aureos coronatos. Siquidem Budæus idē lib. 2. de Asse
mille numûm 25 aureis æstimat. Superiore commen-
tario demonstratum est &c.) Sub ipsum nanq; finem supe
rioris Commentarij Cæsar ait, Q. Ciceronem, & P. Sul-
pitium in Heduis ad Ararim rei frumentariæ causa col-
locatos esse. Nuper enim deuicti, scilicet in bello cum Ver
cingetorige gesto. Tempore anni difficilimo.) hyber
no uidelicet. Quantumq; in ratione esset, hoc est, quan-
tum ratione prouideri posset. Qui Rhemis erant at-
tributi &c.) hoc est, sanguinis propinquitate eos attinge-
bant. De quo uide supra lib. 2. Romanorum orationem ad
Cæsarem habitam. Rursus undecimam &c.) Quod
dicit rursus, respicit ad hoc, quod supra dixerat, undecimā
legionem duodecimæ adiunctam esse, dum Cæsar in Bitu
rigum fines incursionem faceret. Depoposcissent &c.)
Obserua Grammaticorum regulam de non geminandis

compsitis

compositis ab Hirtio non esse seruatam. Atq ita cum tribus legionibus, magnis itineribus ad se ueniret.) Probe colligit. Ad finem nanq; superioris libri septimi Cæsar scribit, T. Sextium cum una legione in Bituriges missum esse. In hoc autem ipse Hirtius refert, Treboniũ cum duabus legionibus Genabi in hybernis collocatum. Subsidiari.) id est, subsidio esse consueuerant. Neque ad sanitatem reliquorum deditione esse perductos.) Cæsar supra lib. 2. Bellouacorum fortitudinem, ac præstantiam: & lib. 7. eorundem arrogantiam describit. In diuersissimam partem Galliæ.) hoc est, in Aquitaniam, quæ Belgio (in quo Cæsar cum Bellouacis bellum gessarat) ob hoc diuersa est: quod hoc uersus Oriẽtem, ac Septentrionem, illa autem Occasum uersus, ac meridiem spectat. Quod uero Aquitaniam innuat, cũ inferiora, tum superiora indicant. Statim nanq; subiungitur, Caninium his regionibus præfectum fuisse: & supra in fine septimi lib. Caninius in Ruthenos Aquitaniæ populos hybernatum missus esse scribitur. Tergestinis.) Strabo lib. 7. Tergestam Carnicorum pagum esse scribit: Pomponius autem Mela Tergestum oppidum in intimo Adriæ sinu positum, ac Illyricum finire tradit: Plinius uero lib. 3. cap. 18. Tergestinum sinum, & Tergesten coloniam 23 m. p. ab Aquileia distare asserit. Vnde mirum ni horum Tergestinorum appellatio originem habet, quos Hirtius hic barbarorum incursionibus infestatos commemorat. Maxime uero à Tergeste colonia, quia proxime antecessit: Labienum ad colonias ciuiũ Romanorum tuendas missum esse. Ad deuastandos, depopulandosq; fines Ambiorigis.) scilicet dimidiæ partis

Eburo-

Eburonum, ut supra lib. 5. & 6. Cæsar perscribit. Ad oppidum Lemouicum &c.) *De Lemouicis siue ut Cæsar supra lib. 7. declinat Lemouicibus, Volaterranus hæc tradit, quod Aquitanis accensentur, etiamsi trans Ligerim à Geographis ponantur. De oppido autem Lemouico (cuius hic meminit Hirtius) nusquàm quidquam legi. Quamquam Beroaldi exemplar non Lemouicũ, sed Lemonem uocat: ad quem modum & Sabellicus legit. Et Romanum, & externum sustinere hostem.*) *Beroaldi exemplar aliter, & nisi totus fallar, melius ad hunc modum legit: Et Romanum exercitum sustinere hostem. Nam Hirtius duobus nominibus Dumnacum ab Lemouici, seu Lemonis oppidi opugnatione destitisse ait: uno quod Fabius cum exercitatis militibus aduentauerat: altero quod sibũ ab oppidanis periculum imminere cernebat, si cum Fabio congrederetur. Et sane prudenter Dumnacus colligebat. Quum enim antea Caninij castra sola expugnare nequiuisset: quonam pacto deinceps recentibus Fabij copijs cũ illius cõiunctis, & tam bene exercitis (ita enim participium ab exerceor Hirtius formauit) restitisset. Magnam uero ἐνάργειαν Hirtij eiusdẽ uerba habent. Siquidem per se arduũ erat opus, Rom. hoc est, tam celebrẽ, & exercitũ. i. tot bellis exercitũ sustinere hostẽ. Reliquam esse unam æstatem suæ prouintiæ.*) *scilicet in Gallijs administrandæ. Quum enim Cæsar iam quatuor annis, & dimidio Galliæ præfuisset, unica ei adhuc æstas supererat. Siquidem (ut in eius uita, & Eutropij argumento de Gallicis bellis patet) imperium ei in quinquennium prorogatum erat.*

Se tradiderunt.) *Cæsar dixisset dediderunt, aut in deditionem*

deditionem uenerunt. Labienus interim in Treueris.) Supra Hirtius ait, Cæsarem exercitũ suum in uarias Galliæ parteis, idq; propter hosteis hinc inde dispersos, dimisisse: atq; inter alios legatos, Labienũ cum duabus legionibus in Treuiros esse missum. Sed per P. Crassum.) De quo supra sub finem li. 2. Vbi ait Cæsar, Crassum in Venetos, Vnellos, Osismos &c. missum, atq; rem isthic feliciter gessisse. Ipse hybernis peractis.) Quod contra cõsuetudinẽ ait Cæsarem in Italiam festinasse, hinc fit, quod in superioribus libris sæpe quidem legimus eum peractis hybernis in Italiã cõcessisse: nusq; uero maximis itineribus, ut hic. Porrò per Italiam hoc loco citeriorem Galliam, quæ & Togata uocabatur, intelligit. Non. n. multò post in sequentibus subiungit: Cum omneis regiones Galliæ Togatæ Cæsar percucurrisset, Et potentiam paucorum.) scilicet Pompeij, Catonis, Marcelli, Spicionis, ac Lentuli, sicuti infra ex bello ciuili patet. Augurẽ prius factũ.) De Augurum numero, & præstantia consule Feneſtellam, & Liuium lib. 10. ab Vrbe condita statim ab exordio. Necessitudine legationis &c.) Hunc Galbam Cæsaris legatum fuisse, ipsius uerba supra lib. 3. testantur, dum ait: Sergium Galbam à se in Veragros, ac Sedunos missum esse.

Ad exercitũ Nemetocennam redijt.) Nemetocennam, suple urbem in Belgio sitam, in qua exercitum in hybernã collocauerat: ut Hirtius ipse paulò superius testatur.

Atq; exercitum lustrauit &c.) Lustrauit, hoc est, expiauit: Germanicè, & Gallicè musteren seu monstren, id est, monstrare, & ostentare. Quæ aũt lustrandi cõsuetudo fuerit, ex lib. 10. q. Ἀναβάσεως Liuianæ, discere possumus: ubi

ubi Macedonici exercitus lustratio in hæc uerba describi-
tur: Prior hostiæ pars dextra, Posterior ad læuam uiæ po-
nitur, inter hanc diuisam hostiã copiæ armatæ traducun
tur. Mos deniq; erat, lustrationis sacro peracto, decurrere
exercitum: & diuisas bifariam acies concurrere ad simula
chrum pugnæ. Ad consulatus petitionem.) scilicet
Cæsareanum, Paulò enim ante dixit, Cæsarem honorem
suum municipijs, & colonijs in sequentem annum cõmen-
dasse. Ibi quanquam crebro audiebat &c.) Quando
quidem & Hirtius hoc loco, & Cæsar ipse ab initio lib. 1.
de Ciuilibus bellis, eorundem seminarium, & causas bre-
uius, adeoq; obscurius proponit: eædem paulo altius, & co-
piosius repetendæ uidentur. Quia aũt nemo luculentius
eas descripsit quàm Lucanus, illius Carmina unà cũ alijs
huc facientibus adscribere non piget. Is ergo fato potissi-
mam attribuens causam, Itali. 1. canit:

Fert animus causas tantarum expromere rerum,
Immensumq; aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum: quid pacem excusserit orbi.
Infida fatorum series, summisq; negatum
Stare diu: nimioq; graueis sub pondere lapsus
Nec se Roma ferens &c. Et paulo post:
In se magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Crescendi posuêre modum, nec gentibus ullis
Commodat in populum terræ, pelagiq; potentem
Inuidiam fortuna suam, tu causa malorum
Facta tribus Dominis cõmunis Roma, nec unquam
In turbam missi feralia fœdera regni.

Porrò quibus Dominis Roma cesserit, ex Plutarchi Pom

peio

peio liquet. Ait enim Crassum, Pompeium, ac Cæsarem imperiũ Romanum ita inter se diuisisse, ut Cæsari Galliæ proconsulatus in quinqennium prorogaretur: Crasso Syria, & expeditio in Parthos, Pompeio Africa, & utraq; Hispania obueniret: Cur autem triceps illud regnum non durauerit, Lucanus hanc subiungit causam:

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Quod uero societas illa non protinus disrupta est, Crassus (quem cum Pompeius, tum Cæsar uerebatur, testibus Lucano, Plutarcho, Suetonio, & Appiano) in causa fuit. Nã posteaquã is à Parthis interemptus, & Iulia Cæsaris filia, & Pompeij uxor mortua fuit: omne dissensionis obstaculum sublatum est. Porrò æmulationis inter Cæsarem, & Pompeium causa hæc à Lucano perhibetur:

Tu noua ne ueteres obscurent acta triumphos
Et uictis cedat piratica laurea Gallis
Magne times: te iam series, ususq; laborum
Erigit, impatiensq; loci fortuna secundi.
Nec quenquam ferre potest Cæsarúe priorem,
Pompeiusúe parem.

Hæc priuatæ simultatis causa inter Cæsarem, & Pompeium fuit. At nec populum à Ciuilis belli seminario immunẽ fuisse, idem Lucanus paulò post testatur, sic canens:

Hæ ducibus causæ suberant, sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersêre potentes.
Nanq; ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessêre secundis,
Prædaq; & hostilcis luxum suasêre rapinæ:

Non

Non auro, tectisúe modus, mensasq; priores
Aspernata fames: cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuêre mares, fœcunda uirorum
Paupertas fugitur: totoq; accersitur orbe
Quo gens quæq; perit. Tum longius iungere fines
Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curionum passa ligones,
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuuaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis:
Inde iræ faciles, & quid suasisset egestas
Vile nephas, magnumq; decus, ferróq; petendum
Plus patria potuisse sua, mensuráq; iuris
Vis erat, hinc leges, & plebiscita, coactæ,
Et cum consulibus turbantes iura tribuni.
Hinc rapti fasces pretio, sectorq; fauoris
Ipse sui populus: lethalisq; ambitus urbi
Annua uenali referens certamina campo.
Hinc usura uorax, auidumq; in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

C. Curio tribunus plebis &c.) Plutarchus in Pompeij uita refert, hunc Curionem magno ære alieno liberatum esse à Cæsare: ideoq; eius parteis secutum. Cui & Lucanus li. primo Pharsaliæ subscribit, ita canens:

Audax uenali comitatur Curio lingua.

Hunc eundem Velleius Paterculus graphicè in hæc describit uerba: Bello ciuili, & tot quæ deinde per continuos 20 annos consecuta sunt, malis nõ alius maiorem, flagrantioremq; quàm C. Curio tribunus pebis subiecit facẽ, Vir

nobilis, eloquens, audax, suæ, alienæq; & fortunæ, & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, & facundus malo publico. Huius animo uoluptatibus, uel libidinibus neq; opes ullæ, neq; cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompei partibus, mox simulatione contra Pompeium, & Cæsarem, sed animo pro Cæsare restitit. Id gratis, an accepto centies SH fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Et quoniam Pompeij dominatio, atq; arma &c.) Pompeius armato præsidio circumuallatus, Milonis causam, & de ambitu accusatorum cognoscebat: ut Plutarchus in Pompeio, & Cicero in oratione pro Milone testatur. Vnde & Lucanus in iam citato Pharsaliæ libro adhunc canit modum:

Pompeiana reum clauserunt signa Milonem.

Sed etiam per se discessionem facere cœpit &c.) Hoc est Curio Tribunus plebis suo, non Consulis (cuius intererat) ductu senatũ totum pedibus in sentẽtiam, quam quisq; uellet, discedere iussit. Quod uero hæc Hirtij mens sit, quam libet obscure historiam hoc loci contexat: Plutarchus in Pompeio eandem rem describẽs, sic cõprobat: Πρὸς ταῦτα Μαρκέλλου τὸ ὑπάτου κελεύοντος ἀποκαλοῦντος τὸν Καίσαρα, καὶ ψηφίζεσθαι πολέμιον κελεύοντος, εἰ μὴ καταθήσεται τὰ ὅπλα Κουρίων ὅμως ἴσχυσε μετὰ Ἀντωνίου, καὶ Πείσωνος ἐξελέγξαι τὴν σύγκλητον. Ἐκέλευσε γὰρ μετασῆναι τοὺς Καίσαρα μόνον τὰ ὅπλα καταθέσθαι κελεύοντας, Πομπήιον δ' ἄρχειν: καὶ μετέστησαν ἑκατὸν πλείους. Αὖθις δ' μετασῆναι κελεύοντος, ὅσοις ἀμφοτέροις ἀρέσκει τὰ ὅπλα καταθέσθαι, καὶ μηδέτερον ἄρχειν: Πομπηίῳ μὲν εἴκοσι, καὶ δύο μόνον, Κουρίωνι δὲ πάντες οἱ λοιποὶ προσέθεντο. Hoc est, Adhæc quum Marcellus consul latronem

latronem appellaret Cæsarem, & nisi ab armis discederet, hostem decerni iuberet: Curio tamen unà cum Antonio, ac Pisone senatũ redarguere sustinuit. Discessionẽ nanq; eos facere iussit, qui solũ Cæsarem arma deponere uellent, Pompeium uero cum imperio esse: & discessionem fecerũt plures. Rursus uero ijs discessionem facere iussis, quibus utrunq; ab armis discedere placeret, & neutrum cum imperio esse: Pompeio quidem duo tantum, & uiginti, Curioni autem reliqui omnes accesserunt. Hactenus ille. Vnde Hirtij uerba alioquin per quam obscura nunc clariora facta esse arbitror. Quando autem hic in textu subiungit, Quod ne fieret, Coss. amiciq; Pompeij iusserunt.) suple discessionem fieri: ab illo dissentit. Ex Plutarcho nanq; elicitur, Curionis iussu discessionem esse factam: Ex Hirtio autem, quod Curio quidem per se illam facere tentauerit, sed tandem Consulum iussu factam. Cæterum (ut hoc auctarij uice subnectam) ex Feneslella patet Romanis diuersum à nostrate morem in Senatusconsulto per discessionem faciendo fuisse. Apud illos nanq;, inquit, discessio fiebat, si consentiretur: apud Tigurinos autem, & Bernates, si res ardua, & ambigua fuerit. Qua de re & Au. Gellius lib. 4 noctium Atticarum cap. 18. nonnihil scribit.

Ad bellum Parthicum.) suple quod occiso iam Crasso restaurari à Pompeianis simulabatur. Id quod præter Hirtium in fine huius libri, Plutarchus in hæc confirmat uerba: Misit Pompeius pro legionibus, quas Cæsari commodauerat, eas repetens, rebus Parthicis simulatis.

Quam in Gallia citeriore habuerat &c.) De hac re legito supra lib. 6. de bello Gallico statim ab initio, & infra

ab exordio lib.1.de bello ciuili. In Italiam mittit.) id est, *in Togatam Galliam. Modo enim dixit XV. legionem ex Galliæ citerioris præsidio eductam, & nunc XIII in eius locum missam esse narrat, quæ præsidia tueretur, ex quibus XV deducebatur. Vnde & superior locus in hoc eodem libro recte expositus esse cernitur.*

TOTIVS BELLI CIVILIS À CAESARE GESTI ARGVMENTVM, SEV INTRODUCTIO PER EUTROPIUM: QUÆ SUPERIORI GALLICO BELLO ITA ANNECTITUR:

INCIAM bellum ciuile successit execrandum, & lachrymabile, quo præter calamitates, quæ prælio acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Cæsar enim rediens è Gallia uictor, cœpit poscere alium consulatum: atq; cũ sine dubietate aliqua ei deferreretur, contradictum est à Marcello Cons. à Bibulo, à Pompeio, à Catone: iussusq; ut dimissis exercitibus ad urbem rediret, & ex Marcelli consulis authoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant Pompeius cũ imperio missus est: propter quam iniuriam Cæsar ab Arimino, ubi milites congrega-

tos habebat, aduersum patriam cum exercitu uenit. Coss. cum Pompeio, Senatusq; omnis, atq; uniuersa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam transiuit, apud Epeirum, Macedoniam, Achaiã, Pompeio duce Senatus cõtra Cæsarem bellum parauit. Cæsar uacuam Vrbem ingressus, Dictatorem se fecit: inde Hispanias petijt, ibi Pompeij exercitus ualidissimos, & fortissimos cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone superauit. Inde egressus, in Græciam transiuit, aduersum Pompeium dimicauit. Primum apud Dyrrhachiũ primo prælio uictus est, & fugatus, euasit tamen, quia nocte interueniẽte Pompeius sequi noluit: dixitq; Cæsar, nec Pompeium scire uincere, & illa tantum die se posse superari. Deinde in Thessalia apud Pharsaliam, productis utrinq; ingentibus copijs dimicauerunt. Pompeij acies habuit quadraginta millia peditũ, equites in sinistro cornu septem millia, in dextero D. Præterea totius orientis auxilia, totamq; nobilitatem, innumeros senatores, cõsulareis: & qui magnorum iam bellorum uictores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditum non integra triginta millia, equites mille. Nunquam adhuc Romanæ copiæ in unum neq; maiores, neq; melioribus ducibus conuenerant: totum terrarum orbem facile subiecturæ, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione. Cumq; diu utrinq; dubia sorte cæderentur, atq; ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret: parcite ciuibus, nec tamen facerent: ex alio uero Cæsar hoc facere urgeret, dicens: miles faciem feri, tandem omnis Pompeij exercitus fugit, castra eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiuit, ut à rege Aegypti, cui

tutor à ſenatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiam ſecutus, occidit Pompeium, caput eius, & anulũ Cæſari miſit: quo conſpecto Cæſar etiam lachrimas fudiſſe dicitur, tanti uiri intuẽs caput, & generi quondam ſui. Mox Cæſar Alexandriam uenit, ipſi quoq; Ptolemæus inſidias parauit. Cæſar ui inſiſtentium hoſtium preſſus, ſcapham aſcendit, qua mox pondere ſubſequentium aggrauata, ac merſa, per CC paſſus ad nauem una manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruénit, Mox nauali certamine pulſatus, magna facilitate claſſem regiam aut depreſſit, aut cœpit. Alexandrinis petẽtibus reddidit regem monitum ut amicitiam magis Romanam, quàm arma experiri ſtuderet: qui tamen illico ut liber fuit, bellum intulit, ſed cõtinuo cum toto exercitu ſuo & ipſe deletus eſt. Nam uiginti millia hominum in eo bello cæſa referuntur: uiginti millia cum ſeptuaginta longis nauibus dedita: quingenti ex uictoribus cecidiſſe dicuntur. Rex ipſe adoleſcens ſcapha exceptus ut fugeret, multis inſiliẽtibus merſus, necatuśq; eſt. Corpus eius ad litus deuolutum inditio loricæ aureæ cognitum eſt. Cæſar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit Ptolemæi ſorori, cum qua cõſuetudinem ſtupri habuerat: quæ poſtea regio comitatu Vrbẽ ingreſſa eſt. Rediens inde Cæſar, Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Theſſaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas populi Romani prouincias occupantem uicit acie: poſtea ad mortem coegit. Inde Romam regreſſus: tertiò ſe Conſulem fecit cum Aemylio Lepido, qui ei magiſter equitum dictatori ante annum fuerat.

erat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba Mauritaniæ rege bellum reparauerat, apud Thapsum Cæsar pugnauit cum illis, & uicit: Duces autẽ Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani. Hic etiam socer Magni Pompeij fuerat, M. Petreius Varro, M. Portius Cato, L. Cornelius Faustus Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prælio, post multas dimicationes victor fuit Cæsar: Cato, Scipio, Petreius, Iuba ipsi se occiderunt. Faustus Syllæ quondam Dictatoris filius, Pompeij gener à Cæsare interfectus est. Post annum Cæsar Romam IIII triumphis ingressus est, quartò se consulem fecit, & statim ad Hispanias est profectus: ubi Pompeij filij Cn. & Sextus ingens bellũ præparauerant. Multa prælia fuerunt, ultimũ apud Mundam ciuitatem: in quo adeò Cæsar penè victus est, ut fugientibus suis, se uoluerit occidere, ne post tantam militaris rei gloriam, in potestatem adolescentium natus annos quinquaginta sex ueniret: deniq; reparatis suis, uicit, & Sexti Pompeij filius maior occisus est, minor fugit.

ARGVMENTVM LIB. I.
de bello Ciuili, per Io. Rhellicanum.

Principio belli intestini occasionem succinctè tradit, quam nos ex Lucano supra fusius allegauimus. Deinde quum utrinq; multis conditonibus de pace facienda nihil esset profectum: Cæsarem hinc inde multa oppida in deditionem accepisse. Tertiò quum Pompeiani urbe relicta se

Dyrrhachium contulissent, & Pompeius ipse Brundusiũ metu Cæsaris fugisset, Cæsarem adiisse Romam: ibiq; parum æquos senatores nactum rediisse in Galliam, inibiq; Massiliensium fraude motum, Massiliã urbem eorum per C. Trebonium legatum oppugnasse. Quartò bellũ in Hispania cum Petreio, & Afranio primum per C. Fabium legatum suum, deinde & suo ipsius ductu gestum.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIB. I. IO. Rhellicani Annotationes.

ITERIS à Fabio C. Cæsaris Cõsulibus redditis &c.) Plutarchus in Cæsare ait hanc in Cæsareanis literis summã fuisse. Omissis cæteris omnibus, hoc tantum peto, ut Cisalpina Gallia, Illyricumq; cũ duabus legionibus, usq; ad secundi consulatus petitionem mihi concedatur. Suetonius autem in Iulio eandem ita describit. Sed cum omnia obstinatius agi uideret, & designatos etiam consules è parte diuersa: Senatum literis deprecatus est, ne sibi beneficiũ populi Romani adimeretur: aut ut cæteri quoq; imperatores ab exercitu discederent, confisus (ut putant) facilius se simul ad quæ libuisset ueteranos commouerat ũ quàm,

quàm Pompeium nouos milites. Cum aduersarijs autem pepigit, ut dimissis octo legionibus Transalpinaq; Gallia, duæ sibi legiones, & Cisalpina prouintia, uel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret.

Summa Tribunorum plebis contentione.) *Suple Curionis, & Antonij. Cum enim, inquit Plutarchus in Cæsare, Curio rerum suarum pro Cæsare satageret, postea super ijsdem rebus literæ deferuntur à Cæsare: quas Tribunus plebis Antonius ad populum extulit, & apud consules recitauit. Et in Pompeio huic Cæsaris sententiæ adhuc clarius accedit, dicens: Antonius Cæsaris epistolam inuito senatu apud plebem recitauit, affectus populari gratiæ accomodatos continentem. Hæc Scipionis oratio quod senatus in urbe habebatur.*) Quandoquidem Scipio (ut idē Plutarchus scribit) Pompeij socer fuit, uerosimile est prædictā sentētiam magis ex affinitatis affectu, quàm æquitatis, & reip. amore profectam. Deinde eam ob causam senatum in urbe habitum dicit: ut innuat Pompeium quidem senatui non interfuisse: sed Scipionis uocem perinde acceptam ac si ex ipsius Pompeij ore emissa esset. Quod uero Pompeius in senatu tunc temporis non fuerit, Plutarchus in eius uita liquidò commonstrat, dicens: exercituum ducibus urbem ingredi non fuisse licitum.

Vt M. Calidius.) scilicet leniorem sententiam dixerat, ut Pompeius in suas prouintias proficisceretur, uidelicet in Africam, & Hispaniam, ut supra ex Plutarchi Pompeio adnotauimus. *Intercedit M. Antonius &c.*) Intercedere hoc loco impedire significat, ne quod senatus decreuerat ratū esset. Etenim Penestella docet, tantam

olim Tribunisplebis authoritatem fuisse, ut quicquid senatus statuisset, ita demum firmum haberetur, si Tribuniplebis approbassent. A Pompeio euocantur.) Suple ex urbe. Nam ei ut exercitus duci urbem ingredi (sicuti paulo superius annotauimus) non licebat. Et dolor repulsæ.) suple quam passus est in consulatu petendo. Cæterum quod Cæsar perhibet Catoni repulsam doluisse: inuidia motus hauddubiè hoc de eo prodidit. Nam Plutarchus in uita Vticensis refert, Catonem consulatus repulsam adeò æquo tulisse animo: ut quum amicis, familiaribusq; suis ea rubori esset, tristitiam, atq; calamitatē per multos dies afferret: ipse ignominiam ita negligenter tulerit, ut postero die unctus in campum descenderet, & post prandium rursus (ut solebat) sine calceis, & tunica in forum ueniens, una cum familiaribus deambularet. Vnde iam constat uerum esse, quod Asinius Pollio (teste Tranquillo) existimauit, nempe parū diligenter, parumq; integra ueritate commentarios hos à Cæsare compositos esse: quippe qui plæraq; & quæ per alios erāt gesta, temere crediderit, & quæ per se uel consultò, uel etiam memoria lapsus ædiderit: putantq; ideo rescripturum, ac correcturum fuisse.

Se alterum fore Syllam.) suple qui nobilium parteis tutatus, ad monarchiæ fastigium peruenit. De quo Appianus lib. 1. bellorū ciuilium, & Plutarchus in eiusdem uita.

Ipse Pompeius, ab inimicis Cæsaris incitatus, quod neminem dignitatem secum exequari uolebat &c.) Cæsarem hæc non ex affectu, sed uerè, ac syncero animo scripsisse, præterea quæ supra ex Lucano de Pompei moribus adduximus, Velleī quoq; testimonium accedit: qui in posteriorū

riori uolumine ad M. Vinicium illos ita depingit: Pompe ius, inquit, ut primum remp. adgressus est, non quenquam animo parem tulit. Et inquibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Neq; eo uiro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit. Neq; Tribunis plebis.) uidelicet M. Antonio & Q. Cassio, ut paulò ante Cæsar ipse commeminit. Appianus Curionem illis tertium adiungit. Quod L. Sylla reliquerat.) Appianus quidem li. 1. bellorum ciuilium ait, Tribunitiam potestatem à Sylla adeò perfractam, ac debilitatã, ut ferè ad nihilum redacta sit, quũ ex lege prohiberet, qui Tribunatum gessisset, ulterius potestatem habere posse: extremi autem illius iuris intercessionem (de qua Cæsar hic) non commemorat. Quod illi turbulentissimi superioribus tẽp. Tribuni plæbis.) ut Gracchus uterq;, Saturninus & Spurius Melius: de quibus Plutarchus in Gracchorũ uita, Appianus in iam citato loco, Deniq; M. Tullius Ci. in Oratione pro Milone. Erat Rauennæ.) Quod oppidum in Gallia Togata sitũ est. Expectabatq; suis leuissimis, id est, non arduis, sed paruis, ac tenuibus postulatis responsa. Vbi annotabis leuis uocabulum metaphoricè sumptum non semper in deteriorem sumi partem. Porrò quænam illa leuia postulata Cæsaris fuerint, supra in hoc libro ex Plutarcho, & Tranquillo allegauimus. Annotandum est & hoc, quod otium hic simpliciter negotio bellico opponitur, quod inter Pompeium, & Cæsarem agebatur, & pro quiete accipitur. Neq; enim (ut opinor) aut otium otiosum, aut literarium innuitur: sed totius reip. tranquillitas, quæ pacis tempore uiget. Quæ per Scipionem,

ostende-

ostenderat.) *Suple quando senatus in urbe habebatur, cui non licebat Pompeio secundum legem interesse. Vnde & superior locus ex Plutarcho allegatus illustrari, & confirmari potest.* *Alieno esse animo in Cæsarem milites.)* *Hunc uanissimum rumorem Pompeius ex Appio didicerat, qui legiones Cæsari concessas (ut inquit Plutarchus) è Gallia reduxerat. Is enim maxime res Gallicas Cæsaris extenuauit, & in Cæsarē malè dicacē exercuit linguam: ipsumq; Pompeium dicebat, suarum se uirium, nominisq; ignarū esse, qui alijs armis in Cæsarem muniretur, quem ijsdem Cæsaris copijs perditurus esset, cum primum inspiceretur: tantum esse odium aiebat, quod milites in Cæsarem seruabant: tantumq; esse desiderium quod aduersus Pompeium tenerent.* *Paludatiq;.)* id est, paludamento, hoc est, imperatoria ueste induti. *Cæsar apud milites concionatur &c.)* Cæsar commentariorum legi inseruiens, summa duntaxat orationis suæ capita perstrinxit. Lucanus autem illam li. 1. Pharsaliæ, Rhetoricis coloribus expressit, ubi eiusmodi exordium ponit: *Bellorum ergo socij, qui mille pericula Martis Mecum, ait, experti, decimo iam uincitis anno.* *Syllam nudata omnibus rebus &c.)* De hoc paulò ante locum ex Appiano allegauimus. *Factum in pernitiosis legibus.)* nempe agrarijs

In ui tribunitia.) id est, quum tribuni per uim aliquid à Senatu extorquere uellēt. Eius rei exemplū habes apud Liuium lib. 6. ab urbe condita sub finem de Licinio, & L. Sextio, qui leges omneis aduersus opes patritiorū, & pro commodis plebis, unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod supereesset, triennio

triennio æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret &c. In secessione populi.) suple ex urbe in sacrum montem, quì trans Anienem fluuium tria millia passuum ab ea distabat. Cæterum talem secessionem bis factam esse apud Liuium legitur: primum Volcis deuictis, quum M. Valerius Dictator pro uictore populo Romano ad senatum referret, ut nexi soluerentur, neq; id à patribus impetrari posset. Secundò, Quũ plebs Appij decemuiri stupro cum Verginij filia commisso mota, cogebat omneis Decẽuiros ut se magistratu abdicarent. Templis, locisq; editioribus occupatis.) Sic Tiberius Gracchus capitolium occupauit, ibiq; non procul à templi foribus per tumultum occisus est: ut testatur Appianus li. 1. bellorum ciuilium. Saturnini.) suple qui à Mario oppressus est.

Gracchorum.) quorum Tiberius à P. Scipione Nasica, Caius à L. Opimio interemptus est. Illo tempore.) scilicet suo, quo tamen decretum erat, ut magistratus operam darent, ne quid resp. detrimentum caperet.

Reliquæ nondum conuenerant &c.) Plutarchus in Pompeij uita refert Cæsarem non maiorem manum secũ in Togata habuisse Gallia, quàm trecentorũ equitum, & quinq; millium peditum. Alias enim copias trans alpes relictas. Ariminum.) Italiæ oppidum, quod quum teste Strabone Vmbrorum colonia primum esset, tandem Romanos inquilinos accepit. Quod sanè oppidum, teste Lucano, Cæsar superato Rubicone amne primum inuasit: sic enim lib. 1. Pharsaliæ scribit; Vicinumq; minax inuadit Ariminum, & ignes &c. Erat iniqua conditio.)

Plutarchus

Plutarchus huic Cæsaris loco consentanea in eiusdē uita scribit. Verumenimuero, inquit, Cæsaris postulatio clarissimam præferabat æquitatem. Se enim arma depositurū pollicebatur, idem faciēte Pompeio: utrunq; priuatū bonis quippiam à ciuibus consequuturū. At indignū esse, ut detractis sibi copijs, Pompeio uires cōfirmentur: quumq; alterum tyrannidis insimulent, alterum tyrannum instruant.

Peracto consulatu.) De proconsulatu nimirū suo loquitur. Nam quum modo per Pompeij conditiones in Gallicam prouintiam redire iuberetur, si pacem fieri inter ipsos uellet, nullum Romæ consulatum gerere tunc temporis potuit. Huc accedit, quod ipse quoq; Cæsar paulò ante scribit, semestre tempus gerendi adhuc proconsulatus in Gallia per suos inimicos sibi præreptum esse. Arretium mittit.) Strabo lib. 5. hoc oppidum Aritiam uocare uidetur: aitq; id in Appia uia situm esse stadijs centum, & 60 à Roma distans. Sequentia nanq; oppida à Cæsare occupata mox à Strabone subiunguntur. Delectumq; toto Piceno.) suple agro, Quæ quinta Italiæ regio est, testāte Plinio lib. 3. cap. 13. Cuius incolæ eodem Plinio, & Strabone teste, Picentes à Pico ductore appellati sunt. Decuriones Auximi &c.) Decuriones hic non pro ijs accipiendi qui turmis præsunt: sed pro ijs, qui Senatui, & consilijs reip. municipalis intererant. Nam & hi Decuriones teste Lau. Valla dicebantur. Et (ut Pomponius Iureconsultus ait) ideo sic uocabantur, quod initio quum coloniæ deducerentur, decima eorum pars consilij publici gratia conscribi solita sit. Protinus aperto sanctiore ærario.) Plutarchus de Publicola inquit, ubi opus erat ad bellum pecu

nias pro facultatibus conferre, quum neq; ipse id munus obire uellet, & ab eo obeundo amicos dehortaretur, nec omnino publicas pecunias in priuatam domũ inferri æquũ duceret: ærarium Saturni ædem cõstituit, quæ hodiæ etiã manet. Ad quod κατὰ σαρκασμόν Cæsar hic alludere uidetur, dicens: Lentulũ quidẽ Pompeij iussu ad aperiendũ sanctum ærariũ accessisse: at ubi sanctius ærarium apertũ audiuisset, hoc est, nuntiatum esset, Cæsarem aduentare, ex urbe actutum profugisse. Falso nuntiabatur &c.) idem testatur Plutarchus in Pompeij uita. Cum his duabus Asculum &c.) Duabus suple legionibus duodecima, & tredecima. Paulò nanq; superius in hoc eodem lib. Cæsar scribit, se initio tumultus tredecimã euocasse, reliquas uero nondum conuenisse. Cæterum Asculum teste Plinio lib. 3. cap. 13. nobilissima Piceni agri colonia est. Quod autem Cæsar appositiue Picenum Asculum uocat ad differentiam alterius Asculi feciſſe uidetur. Camerino fugientem &c.) Volaterranus lib. 6. Geographiæ tradit, Camerinum situ loci munitissimum oppidum esse in Apennini iugo situm, & à Varranorum gente diu possessum. Corfinium.) scilicet oppidum Pelignorum Volaterrano eodem teste. Ex Alba.) suple Colonia ad Fucinum lacum sita, testante Plinio lib. 3. cap. 12. Et finitimis regionibus collegerat.) suple Vestinis, Marrucinis, & Perentanis, de quibus Volaterranus lib. 6. Geographiæ. Ex oppido pontem fluminis interrumpebat.) In quem finem hæc à Domitio facta sint Lucanus lib. 2. hisce uersibus ostendit: —— hoc limite bellum

Hæreat, hac hostis lentus terat otia ripa:

Præcipitem cohibete ducem, victoria nobis
Hic primum stans Cæsar erit.

Et pro rata parte.)*id est, ut rata esset uel imprimis Centurionum, & euocatorum pars. Porrò euocatinon iusti milites, sed promilites erant.*

Quod oppidum à Corfinio &c.)*Sulmo Pelignorũ oppidum est, unde Ouidius poëta cum ingeniosus, tum elegãs ortum traxit. Sic nanq; ipse de se lib.4. Tristium, Elegia 9 canit:*

Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,
Millia qui nouies distat ab urbe decem.

Cæsar tribus primis diebus &c.)*Redit ad Corfinij obsidionem describendam. A rege Norico.*)*scilicet Vocatione. Sic enim Cæsar supra sub ipsum finem lib.1. de Gallico bello Noricum regem uocat uxoris Ariouisti fratrem Vnde mea coniectura est, eum hic de eodem loqui. Porrò quæ, & quàm lata olim fuerit Norica regio, supra à nobis annotatum est. Quum uultus Domitij cum oratione non consentiret &c.*)*Historici in hac historia describenda mire uariant. Appianus enim Alexandrinus seu lectis hisce Cæsareanis commentarijs, seu rumore cognitis, cum hoc Cæsaris loco in hæc uerba sentit: Cæsar interea L. Domitium imperij eius successorem à senatu destinatũ, cæterosq; qui cum illo uenerant, ad quatuor millium numerũ Corfinij obsedit. Qua ex causa moti illi, qui urbem incolebant Domitium fugam præparantem ad portas urbis cõsequuntur, eumq; ad Cæsarem adducunt. Hæc ille. Plutarchus autem, & Lucanus fugæ Domitianæ non meminerũt; nec interim ipsi quoq; inter se cõsentiunt. Ille nanq;*

Domitium

Domitium adeò desperabundum, pusillanimem, & uariũ in ista obsidione describit, ut quum desperatis rebus à suo medico seruo quidem uenenum poposcisset, datum illico tanquàm moriturus hauserit. Paulò post ut mirabilẽ Cæsaris humanitatem, qua erga captos utebatur, audiuerit, seipsum lugere, & consilij celeritatem improbare cœpisse. Eum uerò consolante medico, quoniam non mortiferam, sed somniferam potionem hausisset, alacriter ad Cæsarem contendisse. Cuius ubi dexteram amplexatus, denuò se cõtulit ad Pompeium &c. Hic uerò uirum fortem, constantem, & mortis pro patria obeundæ cupidum ita Domitiũ describit:

Ecce nephas belli reseratis agmina portis
Captiuum traxêre ducem, cuiusq; superbi
Constitit ante pedes uultu, tamen altaminaci
Nobilitas recta ferrum ceruice poposcit.
Scit Cæsar pœnamq; peti, ueniamq; timeri,
Viue licet nolis, & nostro munere dixit
Cerne diem, uictis iam spes bona partibus esto
Exemplumq; mei: uel si libet arma retenta,
Et nihil hac uenia, si uiceris ipse, paciscor.

HS LX quod aurũ adduxerat Domitius.) *id est, mille, & quingentos aureos teste Budæo ἐν τῇ ἑαυτοῦ ἐπιτομῇ de asse, & partibus eius. Porrò quæ differentia sit inter sestertios, & sestertia, superius ex eodem Budæo annotauimus.* *Ab Duumuiris &c.*) *Fenestella Duumuiros sacrorum causa creatos esse tradit, & tandem quum ea dignitas etiam ad plebem translata esset: ex Duumuiris Decemuiros esse factos. Pomponius autẽ Lætus refert, Tul-*

lum Hoſtilium regem Duumuiris poteſtatem iudicandi feciſſe de capite M. Oratij. Atq; inde Brunduſium.) ſuple Calabriæ oppidum, Meſapiorum lingua ſic dictum, quod formam Ceruini capitis præſeferat: ut Volaterranus, & Vadianus noſter ex Plinio referũt. Appianus uero lib. 5. bellorum ciuilium Brunduſij ſitum deſcribens, ait id inſulæ in modum telluri additum, ſtagnóq; Lunæ in formam circumcluſum eſſe: ita ut præciſo colle, & muro communito, neutiquam ex continente adiri poſsit. De quo, & ſequentibus oppidis conſule ſextam Ptolemæi tabulam.

Conſules Dyrrhachium profectos &c.) Pomponius Mela lib. 2. Dyrrhachium ſecundam Iſtriæ urbem ponit, eamq; prius Epidamnum uocatam dicit: ſed propter malum omen à Romanis nomen poſtea immutatũ eſſe. Idem teſtatur Plinius li. 3. cap. 23. De ſitu autem & origine eiuſdem, ac nominis immutatione quum Thucidides, & Appianus clarius quiddam tradiderint: eorum uerba huc apponere uiſum eſt. Ille ergo lib. 1. ita ſcribit: Epidamnus eſt urbs ad dexteram ſita nauigãtibus Ionium ſinum uerſus. Hanc habitatum uenerunt Corcirenſes coloni à Phalio Corinthio deducti: qui erat ab Hercule oriundus, Eratoclidæ filius ex metropoli ſecundum ueterem legem accerſito. Nonnulli etiam Corinthij, & alij præterea Doricæ nationis ex Colonis fuerunt &c. Hic uero ad hunc modũ: Pompeius Dyrrhachium tutò proficiſcitur, quod nonnulli Epidamnum eſſe putant, huiuſmodi nominis opinione ducti: Rex quippe Epidamnus urbem ſupra mare condidit, quæ ab ipſo nomen aſſumpſiſſe creditur. Huius ex filia nepos Dyrrhachus ex Neptuno genitus (ut quidam perhibent)

perhibent) portum Vrbi adiecit, qui Dyrrhachium appellatur. Deinde quum fratres aduersus illum bellum gererent, Hercules ex Erythia rediens pro telluris parte in eos depugnauit. Quamobrem Dyrrhachij Herculem ueluti telluris eorũ ex parte incolam fuisse autumant. Dyrrhachum non utiq; inficiantes, uerum ad Herculem tanquam ad Deum per prius inclinantes. Ferunt quoq; ea in pugna Ionium Dyrrhachi filiũ ab Hercule per errorem interfectum fuisse, Herculem corpus tumulantem in mare proiecisse, ut cognomen illi imponeret &c. Extremis Italiæ partibus, regionibusq; Græciæ &c.) Videto s, & 6 Europæ tabulam: & hic rursus obserua Græcam loquendi formam ἐὰς δύναμιν ἔχειν, in potestatem, pro in potestate habere. Veritusq;.) suple Cæsar, ne ille scilicet Pompeius Italiam dimittendam non existimaret: exitus, administrationesq; Brundusini portus impedire instituit. Plinius lib. 3, cap. 11. hunc portum totius Italiæ nobilissimum esse scribit. Lucanus autem & oppidum, & portum hisce uersibus graphicè describit:

Vrbs est Dictæis olim possessa colonis,
Quos profugos Creta uexêre per æquora Puppes
Cecropiæ: uictum mentitis Thesea uelis.
Hanc latus angustum iam se cogentis in arctum
Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam:
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor
Portus erat: si non uiolentos insula coros
Exciperet saxis, lapsasq; refunderet undas.
Hinc, illinc montes scopulosæ rupis aperto

Oppoſuit natura mari, flatuſq; remouit:
Vt tremulo ſtarent contentæ fune carinæ.

Magium, quem ad Pompeium &c.) *Is (ut paulò antè Cæſar commeminit) Præfectus fabrûm Cn. Pompeij erat.*

Vicos, plateaſq; in ædificat.) *Appoſitiue ſubiungit, quo pacto uicos, plateaſq; inædificauerit Pompeius, dum ait: Poſſas trãſuerſas uijs perducit &c. id quod Cæſar paulò poſt uallum cæcũ, foſſaſq; appellat. Porrò quia Cæſar hic aliquid diſcriminis inter uicũ, plateamq; innuere uidetur earum uocum differentiam ſcire oportet: nempe quod teſte Lau. Valla, Vrbs in uicos quaſi mẽbra minora diuiſa ſit apud antiquos: ut Roma olim in Suburã, Carinas, & Eſquilias. Platea uerò (ſi uocis ἔτυμον ſpectes) ἀπὸ τῆ πλάτους, hoc eſt, latitudine dicta eſt: & latiorẽ in oppido uiam ſignificat, in qua conuenire populus ſolet.* *Depræhenſaſq; excipiunt &c.*) *Lucanus ſub finem paulo ante citati libri Brunduſinorum perfidiam & primum Cæſareanorum, ac Pompeianorum conflictum circa has duas naueis factum, hiſce uerſibus deſcribit:*

Ergo hoſtes portis, quas omneis ſoluerat urbis
Cum facta conuerſa fides, muriſq; recepti
Præcipiti curſu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusq; dolent contingere claſſeis.
Heu pudor exigua eſt fugiens uictoria Magnus.
Anguſtus puppes mittebat in æquora limes
Arctior Euboica quæ Calcida uerberat unda.
Hic heſêre rates geminæ, claſsisq; paratas
Excepêre manus, tractoq; in littora bello:
Hic primum rubuit ciuili ſanguine Nereũs.

Propter

Propter anni tempus.) ſuple hybernum. Siquidem Hirtius ſupra in fine octaui libri ait, Cæſarem antequam in Italiam concederet, aliquot legiones in Belgio, & Heduis per hyberna diſtribuiſſe: & ab initio lib. 1. de bello ciuili aſſerit, grauiſsimum Senatusconſultũ Lentuli ductu aduerſus Cæſarem VII Idus Ianuarij eſſe factum, dum ipſe Rauennæ ageret. Duas Hiſpanias.) ſuple citeriorem, ac ulteriorem. Quarum altera.) ſuple citerior, ut ipſe Cæſar infra li. 2. teſtatur, maximis Pompeij beneficijs deuincta erat. Caralitani ſimul ad ſe Valerium mitti audierunt &c.) Simul, id eſt, poſtquàm Caralitani ab oppido inſulæ Sardiniæ ita dicti populi. Strabo enim lib. 5. digniores huius inſulæ urbeis Caralis, & Sulchos eſſe cõmemorat. Coacto Senatu iniurias inimicorum cõmemorat &c.) Idem fermè ſcopus huius orationis eſt, qui ſuperioris: quam ad milites habuit. Aequitatem nanq; ſuam, ac inimicorum iniquitatem ſenatui exponit. Ac tandem tertio poſtulat, ut Senatus legatos ad Pompeium de pace faciendã mittat. Quis uerò obſtiterit, quo minus pax iſta fieret, Velleius de Curione Tribunopl. loquẽs ita ſcribit. Ad ultimum ſaluberrimas, & coaleſcentis conditiones pacis, quas & Cæſar iuſtiſsimo animo poſtulabat, & Pompeius æquo recipiebat, diſcuſsit, ac rupit: unice cauente Ciceronе concordiæ publicæ. Et priſtina conſuetudine dicendi &c.) Ad hunc locum intelligendum, operæpretium erit huc adſcribere, quæ Plutarchus de Catonis Vticenſis eloquentia, ac genere dicendi in eius uita memoriæ prodidit. Is itaq; primo cauſam in hæc uerba reddit, cur eloquentiæ ſtuduerit. Ea, inquit, de cauſa eloquẽtiæ operam

dedit, ut philosophiæ præceptis aliquid roboris, neruorũq; in agendo, consultandóq; adiungeret. Non tamẽ cum cæteris iuuenibus exercebatur, nec audiri à quoquàm volebat. Quã de re quum quidam eum reprehenderet, dicens etq; improbant homines hanc tuam taciturnitatem Cato, ut libet, inquit, dummodo uitam non improbẽt. Et addidit, ego uero tunc demum hanc taciturnitatem meam abrumpam: quum talia dicere ualebo, quæ non sint dignæ taciturnitate. Deinde quale dicẽdi genus secutus sit, paucos post uersus idem edisserit. Sermo, inquit, eius nihil iuuenile, neq; comptum habebat: sed erat rectus, plenus, & durus. Nam gratia quædam, & attentio inerat breuitati sententiarum: mosq; eius orationi admistus, uoluptatem, & risum quendam honestum audientibus afferebat. Vox autem multa, & abundans tonum habebat infractum, inexhaustumq; per uniuersam sæpe diem incessanter locutus, sine lassitudine desinebat. Hæc ille. Vnde Cæsaris uerba iam facile intelligi possunt, quando ait: Catonem sua dicendi mora dies extraxisse, id est, prolongasse negotium diutius. Ipso consule Pompeio &c.) Suetonius Tranquillus in Iulio refert, accidisse quum Pompeius legem de iure magistratuum ferret, ut in eo capite, quo à petitione honorum absenteis summouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem: ac mox lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Hactenus ille. Vnde hoc Cæsaris dilemma planum fieri poterit.

In circumscribendis Tribunis plebis.) id est, circumueniendis, suple quum Senatus consulto intercedere pro suo iure nõ sinerentur: ut supra initio istius libri cernere licet.

Et

Et expetita colloquia.) ſuple duo, quorum unum Pompeio, per L. Cæſarem, ac Roſcium, alterum per Cn. Magium, oblatum eſt. Pompeius enim diſcedens ab urbe.) Sic Plutarchus in Pompeij uita, Cæſaris uerba cõfirmat. Cum ſtatuiſſet Pompeius huiuſce turbationis certior fieri, omneis iubens patres ſe ſequi, præmonito quod quiremansiſſet, uir Cæſaris exiſtimaretur: urbem circiter diluculum liquit. Sic triduum diſputationibus, excuſationibuſq; extrahitur &c.) Cæſar unam duntaxat cauſam ſubiungit, quare Senatus nullam legationem ad Pompeium ſuper compoſitione miſerit: quippe quod Pompeius ab urbe diſcedens, dixiſſet, ſe hoſtium loco habiturum quotquot Romæ manſiſſent. Plutarchus uero alteram adhuc ſubiungit, nempe quod exiſtimarent, Cæſarem aliud in pectore clauſum, aliud in ore promptum habere: hoc eſt, uerbis dumtaxat pacem poſtulare, re autem uera nihil minus uelle. Subijcitur etiam L. Metellus &c.) Cæſar partim commentariorum legi ſeruiens, partim ſuam ignominiam, ac dedecus uitans: hic paulò breuior, & obſcurior eſt quàm alibi. Siquidem Plutarchus, Lucanus, & Appianus impium illius factum hoc loco deſcribunt. Quorum primus in Cæſaris uita adhunc ſcribit modũ: Ei poſtmodum pecunias ærario demere conanti impedimento affuit Metellus Tribunus plæbis: cui leges quaſdam proferenti, non idem armorum, ac legum tempus eſt, inquit: quod ſi has ipſe res æquo animo ferre non potes, in præſentia quidem procul abſcede. Nec enim huiuſmodi loquendi fiducia bellum indiget. At cum peractis fœderibus arma depoſuerimus: tunc rediens te plæbis patronum age. Hæc tibi

meo decedens iure loquor. Atq; hæc Metello locutus, ad ærarij se portas cõtulit, Apparentibus nusquam clauibus, fabros accersit: quibus portas effringere iussis, Metellus iterum quibusdam laudantibus incitatus, obstare cœpit. Cui, si molestus esse pergeret, necẽ cõminatus Cæsar, istud inquit: Nonne scis adulescentule longe mihi difficilius esse dicere, quàm facere? Hæc ille. Vnde iam liquet, utrũ Metellus compositionis negotium impediuerit, ut Cæsar hic ait: an Cæsarem nepharias manus sacræ pecuniæ inferentem aliquantisper prohibuerit. Albicos barbaros homines, qui in eorum fide &c.) Strabo in lib. 4. de horũ populorum situ cum Cæsare sentit: sed in eorum nomeclatura nonnihil uariat. Sic enim ait, post Salyes tenent Albienses, & Vocuntij montana in septentrionem uergentia. Porro cum Albici, tum Massilienses prouintiæ quondam Romanorũ populi sunt: ut Tabula Europæ tertia indicat De Massilia urbe infra li. 2. bellorum ciuili. nonnihil admonebimus. Quibus iniurijs motus Cæsar &c.) Lucanus li. 3. Pharsaliæ, harum iniuriarum prorsus non meminit: imò post æquam Massiliensium orationem, Cæsarie potius in illos iniuriam ad hunc describit modum:

Sic Graia iuuentus
Finierat, quum turbato iam prodita uultu
Ira ducis, tandem testata est uoce dolorem.
Quamuis Hesperium mundi properemus ad axem
Massiliam delere uacat. & cætera.

Quod autem Cæsar iniurijs se affectum dicit, huc respicit quod Massilienses Pompei partes secuti sunt: quum neutrarum esse debuissent. Atqui hoc modo non Cæsari, sed sibimet

sibimetipsis nocuerunt. Id quod & Velleius Paterculus in hæc indicat uerba. Festinationem itineris Cæsarianũ aliquandiu morata est Massilia, fide melior, quàm consilio prudentior: intempestiue principalium armorum arbitria captans, quibus hi se debẽt interponere, qui non parentem cohercere possunt. Arelate.) supple oppido Narbonensis Galliæ maritimo, quod Paulus Orosius Arelatum uocat li. 7. ca. 34. C. Trebonium Legatum ad oppugnationem Mass.) Oppugnationis Massiliensis descriptione paulisper omissa, bellum in Hispania gestum ideo prius describit: quod Massiliæ oppugnatio, & id bellum eodem tempore gestũ sit. Post septem demũ pagellas ad Massiliæ obsidionẽ describendam redit. Quorũ unus tribus legionibus Hispaniam citerio.) Ad hunc locũ intelligendũ, Hispaniæ diuisionẽ tenere oportet: quam Pli. li. 3. ca. 1. in hũc diuidit modum. Ad Lacobrutinum promontorium ulterior Hispania est, quæ & Bethica dicitur. Mox à fine Virgitano citerior, eademq; Tarraconẽsis ad Pyrenæa iuga. Vlterior in duas longitudine prouintias diuiditur. Siquidem Bethicæ latere protenditur Lusitania, amne Ana discreta. Ortus hic in Laminitano agro citerioris Hispaniæ, & modo se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis recondens, & sæpius nasci gaudens: in Atlanticum Oceanum effunditur. Hæc ille. De quibus omnibus picturã 2 tabulæ Europicæ apud Ptolemæum in consilium adhibe. Alter à saltu Castulonensi.) supple ab oppido Castulone sic dicto: de quo idem Plinius lib. & cap. eodem. Per Vectones.) scilicet citerioris Hispaniæ populos. Celtiberis.) eiusdem Hispa-

niæ populis ſic uocatis, quod ex Celtis oriundi in Iberia, id eſt, Hiſpania conſederint. Ita nanq; Lucanus lib. 4. canit: —— Profugiq; à gente uetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberi.

Ad Ilerdam.) citerioris Hiſpaniæ oppidum. De cuius ſitu Lucanus idē ab initio prædicti libri hiſce uerſibus ſcribit.

Colle tumet modico, leniq; excreuit in altum
Pingue ſolum tumulo: ſuper hunc fundata uetuſtæ
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis
Heſperios inter Sicoris non ultimus amneis:
Saxeus ingenti, quem pons amplectitur arcu
Hybernas paſſurus aquas.

Præterea ſcutatæ, & cetratæ.) Vegetius (ut ſupra etiam meminimus) lib. 2. cap. 15. refert ſcutatos olim plumbatis, gladijs, & miſſilibus accinctos fuiſſe, ſicuti nunc prope omnes milites uidentur &c. Cetrati autem à cetra dicuntur, quod breue ſcutū, teſte Nonio Marcello, eſt. Sic enim Vergilius li. 8. Aen. inquit, Læuas cetra tegit. Et ſub caſtris Afranij cōſtitit &c.) Lucanus in præcitato loco utriuſq; exercitus caſtra in hæc uerba deſcribit, quæ ſuperioribus uerſibus annectuntur: —— at proxima rupes
Signa tenet Magni, nec Cæſar colle minore
Caſtra leuat, medius dirimit tentoria gurges.

Per Afranium ſtare &c.) Idem Lucanus non ita multò poſt cauſam reddit, quam obrem primo die, quo Cæſar in ſuorum caſtra uenit, pugna non ſit commiſſa, ſic inquiens:

Prima dies belli ceſſauit Marte cruento,
Spectandasq; ducum uires, numeroſaq; ſigna
Expoſuit: piguit ſceleris, pudor arma furentum

Contiq;

Continuit, patriæq́, & ruptis legibus unum
Donauêre diem.

Castra facere constituit.) hæc noctu à Cæsare munita esse idem Lucanus docet, ita superioribus accinens:

Prono tum Cæsar olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primæ præstant acies, hostemq́; fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis.

Quas in superioribus castris reliquerat &c.) Supra dixit Cæsar se biduò in C. Fabij castra uenisse, & postea intermissis circiter quadringentis passibus, noua castra in radicibus montis fixisse: ideoq́; hic per superiora castra haud dubie Fabiana intelligit. Planities circiter passuum trecentorum &c.) Lucanus in prædicto libro hanc planitiem ita describit:

Explicat hinc tellus campos effusa patenteis
Vix oculo prendente modum.

Vnius legionis antesignanus &c.) Ex Modesto de uocibus rei militaris apparet, antesignanos eos esse, quos Liuius antepilanos uocat. Sic nanq; ille scribit. Ante signa, & circa signa, necnon etiã in prima acie dimicantes, principes uocabantur: hoc est, ordinarij, cæteriq́; principales. Hæc erat grauis armatura, quæ habebat cassides cataphractas, ocreas in cruribus, scuta, gladios maiores, quos spathas uocant: & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu iaciunt &c. Hic uero lib. 3. ab urbe condita ad hunc modã: Postremo in plureis ordines acies distribuebatur. Ordo enim sexagenos milites, duos centuriones, uexillariũ

unum

unum habebat. Prima acies hastati erant, manipuli quindecim distantes inter se modicum spatium. Manipulus leuis uicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leues autem qui hastam tantum, gessamq; gererent, uocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidē manipulorum, quibus principibus est nomen. Hos sequebantur scutati omnes insignibus maximè armis. Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisq; treis parteis habebat &c. Porrò supra in lib. 1. de bello Gallico ostendimus pilo, hoc est hastæ signa militaria affixa: hinc enim primarius centurio primi pili ductor, ac primipilus uocabatur eodem Liuio authore. Ex primo hastato &c.) Primus hastatus (ut Vegetius lib. 2. cap. 8. docet) duas centurias, id est, ducentos milites ducebat in acie secunda, quem nunc ducenariū uocāt. Porrò hastati in genere ij (teste Aeliano de instruendis aciebus) dicuntur, qui manus cōserunt & comminus hasta decertāt. Tanta enim tēpestas cooritur.) Lucanus in lib. iam sæpe citato hanc tempestatē ex hybernis niuibus uerno tempore ortam esse dicit: atq; eius occasionem & causam efficientem ad hunc attingit modum:

Fata dedit uarijs incertus motibus aër
Pigro bruma gelu, siccisq; Aquilonibus hærens,
Aethere constricto pluuias in nube tenebat.
Vrebant montana niues, camposq; iacentes
Non duraturæ constricto sole pruinæ:
Atq; omnis propior mergenti sydera cœlo

Aruerat

Aruerat tellus hyberno dura ſereno.
Sed poſtquam uernus calidum Titana recepit,
Sydera reſpiciens dilapſæ portitor Helles,
Atq; iterum æquatis ad iuſtæ pondera libræ
Temporibus uicêre dies &c.

Tum autem ex omnibus montibus &c.) *Idem paulo poſt, hæc Cæſaris uerba confirmat, dum inquit:*

Iamq; Pyrenææ, quas nunquàm ſoluere Titan
Eualuit, fluxêre niues: fractoq; madeſcunt
Saxa gelu, tum quæ ſolitis è fontibus exit
Non habet unda uias, tam largas alueus omnis
A ripis excepit aquas, & cætera.

Vt ſupra demonſtratum eſt &c.) *Supra quidem Sicoris fluuij meminit, at Cingæ & caſtrorum inter duo flumina ſitorum non item. Lucanus autem (ut iam ante allegauimus) Caſtra Cæſareana, & Pompeiana Sicore tantũ diſcreta fuiſſe perhibet. Cinga uerò planicië (de qua paulò ante) coherceri idem teſtatur, ſic modulans:*

——— *At proxima rupes*
Signa tenet Magni, nec Cæſar colle minore
Caſtra leuat, medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effuſa patenteis,
Vix oculo prendente modum, camposq; cohercet
Cinga rapax, uetitus fluctus, & litora curſu
Oceani pepuliſſe ſuo: nam gurgite miſto
Qui præſtat terris aufert tibi nomen Iberus.

Annona creuit.) *id eſt, pretium annonæ auctum eſt. Quæ ferè res, nempe annonæ caritas ingraueſcere conſueuit inopia, id eſt, per inopiam non ſolum præſentis, ſed etiam futuri*

turi temporis timor. Iamq; ad denarios quinquagin ta in singulos &c.) Ex Budæi obseruatione cõstat Drachmam apud Græcos, & denarium apud Romanos eiusdem fuisse ponderis, & ualoris: & octo denarios uno aureo Rhenensi ualuisse ex eiusdem cõputatione obseruatũ est. Quæ ratio si admittitur, singuli modij annonæ plus minus sex nostris aureis Rhenensib. in castris Cæsareanis uenibant. Porrò ne quid dissimulem, Beroaldi exemplar à reliquis discrepat. Pro quinquaginta enim quadraginta legit, & denariorum non meminit. Talem nuntium &c.) Hic manifestum exemplum habemus, nuntiũ in masculino genere cum pro eo, qui nuntiat, tum pro eo, quod nuntiatur apud oratores, & historicos poni: sicut Festus Pompeius, & post eum Lau. Valla homo cum de bonis literis, tum de pietate, & religione uera optime meritus docet. Nihil enim Mancinellus in lima sua Seruio docto alioquin Grãmatico patrocinans efficit: dum multa exempla contra Vallam ex poëtis citat. Poëtis nanq; metri causa liberior dicendi campus est, quàm oratoribus, & historiographis.

Vt naueis faciant, cuius generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat.) Supra lib. 5. de bello Gallico ait. Britannicas naueis paulò humiliores fuisse, quàm quibus in nostro mari utebantur: idq; propter celeritatem onerandi, subductiones'q;. Carinæ primum, ac statumina ex leui materia fiebãt &c.) Exemplaria Florẽtina, quæ à Beroaldo correcta esse dicuntur sic legunt, ac distinguunt hunc textum: Carinæ primum stramine, & leui materia fiebant, sed nimirum corruptissime. Quo enim pacto ueresimile esset, nauiũ carinas ex stramine contextas, quũ

Cæsar

Cæſar ipſe ſubiungat, reliquũ nauium corpus uiminibus compactum corijs inductum eſſe. Nullo modo. Stramineanancꝙ carina ſolida fieri non potuiſſet. Itaꝙ Aldini, Gryphiani & Vuolffiani exemplaris lectio hac ſaltem in parte melior eſſe uidetur: ut ſit ſenſus, Carinæ primum, ac ſtatumina, id eſt, ſtipationes earundem ex leui materia, id eſt, ligno leui fiebant. Cur autem ſic & legam, & interpreter, Volaterranus lib. φιλολογίας 27 occaſionem præbuit. Is nanꝙ ex Vitruuij ſententia dicit, Statumen uocari quicquid ſtrato adijciatur: unde ſtatuminare, ſtupare, & ir[illegible] cire. Huc etiam facit, quod Lucanus in præcitato libro naueis non ex ſtramine, ſed ex ſalignis uiminibus contextas, & corio inductas eſſe hiſce uerſibus docet:

Vtꝙ habuit ripas Sicoris, camposꝙ reliquit,
Primum cana ſalix, madefacto uimine paruam
Texitur in puppim: cæſoꝙ induta iuuenco,
Vectoris patiens tumidum ſuper emicat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoꝙ Britannus
Nauigat Oceano: Sic cum tenet omnia Nilus
Conſeritur bibula Memphitis cymba Papyro.

Deniꝙ ab hac nauium forma non multum & Babyloniæ naui culæ abludũt: quas Herodotus in Clio in hæc uerba deſcribit: Nauũgia illorum, quæ per flumen commeant Babylonem, omnia ſunt orbicula, atꝙ coreacea: quæ pecuarij Armenij, qui ſupra Aſſyrios incolunt, ex cæſis ſalicibus faciunt, inſtruuntꝙ pellibus, nudo illorum extrinſecus poſito in modum ſoli: neꝙ puppe diſcreta, neꝙ prora acuminata, ſed in ſpeciem clypei magis orbiculata. Tale nauigium ſtramentis ſtipatum, fluuio deferendum permittunt &c.

tunt &c. Cæterum ne quid dissimulem, si cui Florentina lectio magis proba uidetur, hunc sensum habere poterit: ut intelligamus carinas ex leui materia, hoc est, uel salicibus, uel arundinibus contextas, & stramine infertas perinde, ut apud Agathium de Gothico, & alijs peregrinis bellis lib. 5. legimus, arundineas ab Hunnis Chersonesum obsidentibus naues factas, & paleis earundem commissuras obstructas esse. Sed (ut antea scripsi) altera & lectio, & expositio mihi magis arridet. Dum hæc ad Ilerdam geruntur &c.) Nunc demum ad Massiliæ obsidionem, & oppugnationem redit: quam ante aliquot paginas describere inceperat. Hæ ad insulam, quæ est contra Massiliã.) Nimirum unam ex Stœchadibus insulam intelligit, quarũ teste Strabone lib. 4. tres iustæ & duæ perexiguæ quantitatis sunt: Iuxta Plinij uerò sententiam lib. 3. tres duntaxat sunt, quæ à uicinis Massiliensibus propter situs ordinem sic appellatæ, quas & singulis uocabulis nominabant, Prote, Mese, & Hypæ. Hæ nanq; (si pictura Ptolemaica nõ fallit) Massiliæ magis oppositæ sunt, q̃ Metina, & Blascon: quarum Plinius inibi in Gallicæ oræ descriptione meminit. Nam in tertia Europæ tabula Blascon longius à Massilia, & à latere sita est. Remos trans currentes detergere.) id est, distringere, reprimere, distinere.

Hoc primum Cæsari ad Ilerdam nuntiatur &c.) Commodam occasionem nactus Cæsar, ad res in Hispania gestas redit. Cum enim sibi lætum nuntium de nauali uictoria Ilerdam perlatum esse monuisset: commode deinceps ad res Hispanicas regredi potuit. Interim Oscenses, & Calaguritani &c.) Hi, & sequentes populi omnes in citeriore

citeriore Hiſpania ſiti ſunt: de quibus uideto Plinium li. 3. cap. 3. & ſecundam Europæ tabulam apud Ptolemæum.

Equitatus noſtri prælio nouiſsimos illorũ.) ſuple Afranianorum, & Petreianorum. Ac nonnunquam ſuſtinere extremum agmen &c.) Ordo cõſtructionis ſic habet: Ac extremum agmen, ſuple hoſtium cernebatur, nonnunquam ſuſtinere) ſcilicet Cæſareanorum impetum, ac impreſſionem. Ac interrumpi.) ſuple cernebatur agmen hoſtium. Magnóq; numero iumentorum in flumine.) Non diſsimili modo exercitum antea per Ligerim traiecit. Nam quum militum brachia (inquit li. 7. de bello Gallico) tantum modo, atq; humeri ad ſuſtinenda arma liberi ab aqua eſſe poſſent: equitatum diſpoſuerat, qui uim flumĩnis refringeret. Signum dari, id eſt, claſsicum cani.

Et uaſa militari more cõclamari.) id eſt, ut impedimẽtis collectis, expeditioni ſe accingerent. Viſendi cauſa læti &c.) Alij legunt loci, & nimirum emẽdatius. Mirabantur enim Afraniani milites, quibus modis Cæſareani per ualles & loca præcipitia, prærupta, & cõfragoſa proficiſcerentur. Huiuſmodi nanq; itineris Cæſar ipſe modo commeminit. Atq; ad Ilerdam reuerti.) & hic Cæſar non ſecundum Grammaticorum noſtrorum præceptiones loquitur. Præpoſitionem nanq; Græca dicendi forma nomini minoris loci proprij addit. Quemadmodum nanq; Græci dicunt, πορεύομαι εἰς τὴν Ῥώμην, id eſt, proficiſcor ad Romam, ſic Cæſar hoc loci ait, ad Ilerdam reuerti.

Cur etiam ſecundo prælio aliquos amitteret.) Prudentis ſimul & fidi imperatoris officium perpende, & ſi talis ſe caſus offert mutare. Cohortium alariarum &c.)

De aliarijs cohortibus supra lib. 1. de bello Gallico ex Vegetio locum adduximus. Item de Prætoria cohorte.

Quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum facultatem.) Lucanus lib. 4. Pharsaliæ mutuum hoc Cæsareanorum, & Afranianorum colloquium, & familiaritatem hisce uersibus describit:

——— Postquàm spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina uultus
Et fatres, natosq; suos uidêre, patresq;:
Deprensum est ciuile nephas, tenuêre parumper
Ora metu, tantum nutu, motóq; salutant
Ense suos, mox ut stimulis maioribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere uallum
Miles in amplexus effusas tendere palmas
Hospitis ille ciet nomen, uocat ille propinquum,
Admonet hunc studijs consors puerilibus ætas,
Nec Romanus erat, qui non agnouerat hostem.

Et paulò post: ——— Pro numine fata siniſtro
Exigua requie tantas augentia clades
Pax erat, & miles castris permistus utrisq;
Errabat, duro concordes cespite mensas
Instituunt, & permisto libamina Baccho
Graminei luxêre foci, iunctóq; cubili
Extrahit in somneis bellorum fabula noctes.

Armat familiam &c.) Lucanus in iam citato libro famulas dextras uocat, ita canens:

——— Famulas scelerata ad prælia dextras
Excitat, atq; hosteis turba stipatus inermeis
Præcipitat castris, iunctosq; amplexibus ense

Separat.

Separat, & multo disturbat sanguine pacem.

Beneficiarijs suis &c.)*Beneficiarij*(*Vegetio lib.2.cap.7. testante*) *ideo sic appellati sunt, quod tribunorum beneficio promouerentur. Quos deprehendit interficit.*) *Lucanus & hoc graphice describit, dicens:*

——— *inter mensas q̃, thoros q̃*
Quæ modo complexu fouerunt pectora cædunt.

Vana religio iusiurandi &c.)*Geminum mendum hic est. Prouana enim noua scribendum ipse sensus uerbo͂ admonet. Cum enim antea sacramento militari essent rogati, nouum illud iuramentum accessit. Atq; ad hunc modum Beroaldinum exemplar habet. Deinde pro iusiurandi, legendum est iurisiurandi. Ex propositis consilijs duobus &c.*)*Paulo superius Cæsar commemorat Afranium, & Petreium re frumentaria, & flumine Ibero intercluso consultauisse: aut Ilerdam reuerti, aut Tarraconem proficisci. Prius ergo consilium & sententia tandem uicit.*

Quin extremi.)*suple Afraniani, ac Petreiani, cum equitibus suple Cæsareanis. Genus erat hoc pugnæ, expeditæ cohortes.*)*scilicet Cæsareanæ, nouissimũ agmen suple Legionum, cum quibus Cæsar subsequebatur.*

Equites uerò suple Cæsareani. Tum inquirebant scilicet Afraniani, id quod ex sequentibus haud obscure colligi potest. Statim enim subiungitur, magnoq; impetu equitatum repellerent: id quod de Cæsareanis intelligi nequit. Non enim ita multò post sequitur, Afranianum equitatũ in mediam aciem receptam esse. Superioribus perterritos prælijs &c.) *Duobus nanq; prius Afrianani prælijs erant pressi, uno, quum iam primũ Ilerdam reliquissent:*

altero, quando Cæsareani reflexo itinere, Afranianos ad Iberum contendenteis anteuerterant, ut in superioribus, uidere licet. Iisdem de causis &c.) Quarum supra circiter quatuor aut quinq; recenset, primum quod aduersarios re frumentaria intercluisset, secundò, minime committendum ratus, ut etiam secundo prælio aliquos ex suis amittere ttertiò non uulneribus afficiendos milites optime de ipso meritos, quartò fortunam non tentandam putans. Postremò ciuium misericordia tactus, quos interficiendos uidebat, quibus saluis, atq; incolumibus rem obtinere malebat. Omnia sarcinaria iumenta.) Hæc alio nomine clitellata, seu clitellaria uocantur, uulgo somros.

Si transire possent.) rursus si pro an Græco more usurpauit. Neq; summissos duces &c.) De his uide hunc librum penè ab initio. Vt idem, suple Pompeius ad portas urbanis præsideat rebus, & duas bellicosissimas prouintias.) Plutarchus (ut supra allegauimus) scribit Pompeium ante urbis portas senatũ coegisse: item utramq; Hispaniam, & Africam prouintias per amicos, legatos suos administrasse. Sed per paucos probati, & electi &c.) Supra in hoc li. Cæsar ait, ex Senatusconsulto prouintias priuatis hominibus decretas. Itaq; magistratuũ iura cõmutata esse haud abs re dixit: quippe quando antea non nisi si Prætores, & Consules in prouintias mitterentur. In setatis excusationẽ nihil ualere.) Per elegantẽ figurã, quæ ἀναφορά uocatur, easdẽ particulas, in se, ab initio trium membrorũ repetit. Porrò sensus istorum nostrorũ perq; obscurus est, nisi aliorum locorũ claritate illustretur. Quum ergò Plutarchus in Cæsaris uita, hanc eius in literis ad Senatum

natum postulationē fuisse scribat, ut Cisalpina duntaxat Gallia, Illyricumq; sibi cū duabus legionibus, usq; ad secūdi petitionē consulatus concederetur: & Cæsar ipse abinitio huius libri dicat, erepto semestri imperio in Gallijs gerendo adhuc, in urbem se retrahi, quum iam L. Domitio Gallia decreta esset: nimirum hac significare uult diuturnum illud, & nouennale tempus, quo Gallis magno sudore præfuerat, minime respici, quum tamen hactenus in more Romanis fuerit, ut non nisi superioribus bellis probati Duces ueterani ad exercitus obtinendos euocarentur.

Id uerò militibus fuit pergratum &c.) Cur militibus hæc oratio plausibilis, & grata fuerit, sequentia declarāt, quando ait: eos & uoce, & manibus significare cœpisse, ut confestim, quemadmodum Cæsar permiserat dimitterentur, ac sacramento militari soluerentur. Id quod & Afranium in sua apud Cæsarem oratione postulasse Lucanus ita inquit: Hoc petimus, uictos ne tecum uincere cogas.

Statim reliqui ad Varum flumen.) quod Strabone lib. 4. authore, inter Antipolim, & Niceam medium est: & secundū Plinij sententiam lib. 3. Narbonensem prouintiam ab Italia disterminat. Cum stipendium ab legionibus penè seditione facta flagitarentur.) Rursus Græcè magis quàm Latine dixit Cæsar, flagitarentur stipendium Petreius, & Afranius, id est, stipendium ab eis flagitaretur. Sic nanq; Græci dicunt, αἰτοῦμαί σε ὀψώνιον, hoc est, flagitor te stipendium. Parte circiter tertia exercitus eo biduo dimissa.) Eam procul dubio militum partem intelligit, quæ domicilium, & possessiones in Hispania habebat, de qua ipse modò dixit.

DE BELLO CIVILI

Tria in hoc libro prosequitur. Primo Massiliæ expugnationem. Tum ad res in Hispania gestas redit. Postremò bellum in Africa gestum describit.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIB. II. IO.

Rhellicani Annotationes.

. TREBONIVS *legatus &c.*) *Redit ad Massiliæ oppugnationem, cui (ut supra fermè in libri primi meditullio legere est) in Hispaniam proficiscens, C. Trebonium legatum præfecerat.* Massilia *enim, quæ extribus oppidi partibus.*) *Massiliæ situm graphice describit quem tamen neq; ueteris, neq; nouæ tabulæ Ptolemaicæ typus refert. Quam ob rem ἀυτόπλαι rectius de eo iudicauerint, q̃ qui alienis oculis cernunt.* Quibus comparatis *rebus, aggerẽ in altitudinẽ pedũ octoginta extruit.*) *Quibus rebus suple uiminibus, & materia comparatis, scilicet ex proximo luco, ut Lucanus fusius tractat: qui & aggerẽ miræ altitudinis & duas turres ambulatorias in illa excitatas ita multò clarius lib. 3. describit, quàm Cæsar hic.*

——— *stellatis axibus agger*
Erigitur, geminasq; æquanteis mœnia turreis
Accipit, hæ nullo fixerunt robore terram:
Sed per iter longum causa repsêre latenti.

urbe

Tantaq; multitudo tormẽtorũ.) *Vnde isthæc tormentorũ copia Massiliensibus suppetiuerit, ex ipsius Cæsaris uerbis in libro superiori discimus, ubi ait: eos armorũ officinas in urbe sua instituisse, quando bellũ, & obsidionem sibi immineresentiebant.*

Asseres enim pedum duodecim &c.) *Causam nunc reddere uidetur, cur Massiliensium tormentorum uim nullæ Romanorum uineæ contextæ & uiminibus sustinere potuerint. Nam inquit, asseres duodecim cuspidibus præfixos Massilienses ex balistis mittebant: ac per quatuor Cæsareanarum cratium ordines in terra defigebant. Id quod Lucanus hisce uersibus clare testatur:*

Sed maior Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat, neq; enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso balistæ turbine rapta
Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perq; arma uiam, perq; ossa relicta
Morte fugit, superest telo post uulnera cursus.

Itaq; pedalibus lignis coniunctis inter se, porticus integebantur &c.) *Porticus suple uinearum Cæsaris, atq; hac scilicet parte aggerinter manus, id est, militum cohortes sub uinearum porticibus proferebatur. Ostendit autẽ Cæsar hoc loci quibus modis Romani Massiliensium tormentorum uim repulerint, & aggerem suum perfecerint.*

Antecedebat testudo pedum sexaginta &c.) *Et hæc machina aduersus tormentorum hostilium incursus facta erat. Neq; uerò hic de tali testudine Cæsar loqui uidetur, qualem supra lib. 3. belli Gallici ex Vegetio adduximus: sed qualẽ Ammianus Marcellinus lib. 26. describit: quan-*

do ait Alissonem quendam Tribunum, coniunctis tribus nauigijs, testitudinem hac specie struxisse, ut densatis cohærentes super capitibus scutis, primi milites transtris insta rent armati: alij post hos semet curuantes humilius, tertijs summisse, gradatim inclinatis, ita ut nouissimis suffraginibus insidentes, formã ædificij fornicati monstrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac specie, ut missilium ictus, atq; saxorum per decursus cadentes labiles, instar imbrium euanescant &c. Nam causa finalis huiusmodi testudinis eadem à Cæsare subditur, quã & Marcellinus habet. Ait enim loci æquandi causa aggeri præpositam, & ex fortissimis lignis factã, rebusq; omnibus ijs inuolutam (sic enim pro euolutam legendum cẽseo) quibus ignis iactus, & lapides, defendi, hoc est, cohiberi possent. Vbi nullam falcis mentionem in utroq; scriptore fieri audis, quæ trabi præfigatur intrinsecus ad extrahendum lapides è muro hostili, ut Vegetius meminit. In hoc autem utriusq; testudinis ratio eadem est, quod utráq;, hoc est, Vegetiana, & Cæsareana ne incendio cõsumeretur, coriijs, cilitijs, aut cẽtonibus uestiebatur. Porrò de uarijs testudinum generibus consule Vitruuium lib. 10. de Architectura. Imprudente, atq; inopinante Curione &c.) Supra li. 1. bellorum ciuilium Cæsar ait, à Catone Siciliam prouintiam relictam esse, quum se Pompeij auxilio destitutum uideret. Atq; exinde insulam à Curione occupatam. Atq; inde propter repentinum terrorem principum.) suple Messanensium. Vt rursus cum Bruti classe &c.) Supra in lib. 1. bellorum ciuilium Cesareanæ classis Brutus præfectus esse commemoratur:

& Massi-

Maſsilienſes in pugna inferiores, nouem amiſiſſe naueis.

Quæ factæ fuerant Arelatæ.) In ſuperiore libro commemorat Cæſar naueis longas duodecim ipſius iuſſu apud Arelatenſeis eſſe factas. Iſthic autem (niſi exemplaria fallunt) in tertia declinatione inflexiſſe uidetur, iuxta Plinij, & Pomponij Melæ lectionem. Quanq; & illi in prima declinaſſe uideri queant more Græcorũ nominũ, Arelate, es. De quo & ſupra lib. 1. bellorum ciuilium quædam annotata ſunt. Qui dexteram partem operis adminiſtrabant &c.) Ab initio iſtius libri narrat Cæſar, Trebonium duabus ex partibus aggerem, uineas, ac turres ad Maſsiliam agere cœpiſſe, unamq; partem finitimam portui, naualibusq; fuiſſe: alteram uerò quà eſt aditus ex Gallia, atq; Hiſpania ad id mare, quod adigit ad oſtium Rhodani. Turrim ex latere &c.) De hac & ſequentibus machinationibus, conſulito Iucundi picturam Ald. Gryphianis, & Vuolffianis exemplaribus præfixam.

Patebat hæc quoquouerſus pedes triginta.) hoc eſt in longitudinem, latitudinem, ac profunditatem. Præhenſionibus ex contignatione prima ſuſpendere &c.) Cæſar hoc loco per præhenſionem eam uidetur fabricam innuere, quæ operi faciundo appendi ſolet, ut ædificiũ altius duci queat: id quod Germani ab apparando, ſeu inſtruendo cingruſt uocant, quaſi dicas apparatio, ſeu inſtructorium. Muſculum pedum LX.) Supra lib. 7. de bello Gallico ex Vegetij ſententia docuimus, quid muſculus, & unde dicatur. Has inter ſe capreolis molli faſtigio cõiungunt &c.) Quandoquidem Feſtus Pompeius uitium cincinnos intortos ideo capreolos uocari atumat, quod

ad locum capiendũ tendant: Cæsar procul dubio de ligniș eo modo intortis loquitur, quibus columnellæ molli fastigio coniungebantur. Super quibus machinationibus, hoc est, præhensionibus, & capreolis Vitruuius uideatur. Phalangis subiectis.) Iulius Pollux de rerum uocabulis inquit τὰ τῶν νεῶν ξύλα οἷς ὑποβληθέντα ἐφέλκουται αἱ νῆες φάλαγγες, καὶ φαλάγγια, id est, nauium ligna quibus subiectis naues attrahuntur Phalanges, & Phalangæ uocantur. Vnde conijtio rotunda illa ligna significari per phalangas, quibus onera uolutantur: uulgò uuellen, oder uualholtz. Infra autem lib. 3. Cæsar de simili re loquens Latina uoce scutulas uocat. Virgilius uero li. 2. Aeneidos lapsus uocare uidetur. Sic enim ibidem de Durateo equo in urbem à Troianis introducto canit: Accingunt omnes operi, pedibusq; rotarum Subijciunt lapsus &c. Vocabantur uerò haud dubie lapsus, quod onera uolutata super illis laberentur. Cum infulis sese foras uniuersi proripiũt.) Attende supplicantiũ ritus quis olim fuerit apud Massilienses. Hinc enim apparet eos non ex barbaris, sed Græcis originem traxisse: ut multi historici hoc testãtur. Teste nanq; Polybio lib. 3. Galli, & aliæ barbaræ nationes non caduceum, neq; infulas: sed corollas ex floribus conser tas pro amicitiæ, & supplicationis signo prætendebant.

Vt ab hominibus doctis &c.) Cicero in oratione pro L. Flacco de Massiliensium eruditione hæc scriptis mandauit. Neq; uerò te Massilia prætereo, quæ L. Flaccũ militem, & quæstorem cognouisti: cuius ego ciuitatis disciplinam, atq; grauitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendã iure dicam. Quæ tam pro-

eul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguis q; diuisa, quum in ultimis gentibus, barbariæ fluctibus alluatur: sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm æmulari &c.

Quibus rebus commoti legati.) suple Cæsaris, ut C. Trebonius, & D. Brutus. Alij ex castris sese incitãt.) id est, proripiunt. M. Varro in ulteriore Hispania.) À Gallicis, ad Hispanas res describendas redit. Quandò enim in superiore libro narrauerat, Afranium, Petreium, & Varronẽ Pompeij legatos prouintiam Hispanicã ita inter se comparasse, ut Petreius ex Lusitania per Vectones cum omnibus copijs ad Afraniũ proficisceretur, Varro autem cum his, quas habebat, legionibus, omnem Hispaniam ulteriorem tueretur: nũc quo pacto idem Varro se cum erga Pompeium, tum Cæsarem gesserit, explicat, quippe quod pro plerorum q; hominum more ad feliciorem parietem se inclinauerit Qui fidutiariam operã obtineret &c.) Quemadmodum (inquit Budæus in annotationibus prioribus in Pãdectas) fiduciaria possessio pro depositaria, seu (ut nunc uocant) recedentia apud Iureconsultos accipitur: ita & Varro apud Cæsarem ait, se quippe legatum, fidutiariam operam obtinere, quia redeunte imperatore, aut cõsule, cedere cum oporteret. Ad hũc modũ & Narbazanes apud Curtiũ li. 5. ad Darium loquitur: Auspitiũ, inquit, & imperium alij trade interim, quitam diu rex appelletur, donec Asia decedat hostis. Victor deinde regnũ tibi reddat &c. Et nõ multò post. Compositis rebus, iusto regi tibi fidutia, id est, per fidutiam restituet imperium. Gaditanis ut facerent &c.) Gaditani à Gadibus

à Gadibus Hiſpaniæ uel inſula, uel oppido (ut Pomponius Mela docet) denominantur. In Hiſpali.) ſcilicet oppido (ubi rurſus uides præpoſitionem nomini loci minoris Græca conſuetudine additam) Hiſpaniæ ulterioris. Etenim Plinius lib. 3. cap. 1. illud inter quatuor iuridicos Hiſpaniæ ulterioris conuentus refert, dicens: Quatuor iuridici conuentus ſunt, Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, & Hiſpalenſis. Ex phano Herculis &c.) Idem Mela in iam citato loco refert, Gades inſulam duobus promontorijs eminere: in quorum altero oppidum ſit eiuſdem nominis, in altero autem Herculis Aegyptij templum.

Argenti pondo &c.) Budæus li. 1. de Aſſe, & partibus eius, libram aſſem, & pondo idem ſignificare tradit: & in epitoma libram, minam, ſeu pondo centenis drachmis ualere. Supra autem de ſeſtertijs diximus, ac ex eiuſdem Budæi ratione collegimus, drachmam apud Græcos, & nummum apud Romanos eiuſdem fuiſſe ualoris, eorumq; octo Rhenenſi aureo æquiualere. Cordubæ.) ſuple in Hiſpaniæ ulterioris oppido, quod Seneca philoſopho, oratore & poëta, Lucanoq; poëta facundiſſimo, alumnis ſuis olim imprimis gaudebat. Simul ipſe Cordubæ conuentus per ſe portas.) En fructum immanitatis, & auaritiæ Varronianæ, quæ omnibus qui cum imperio, merito cauenda ſunt. Tanta, ac tam ſecunda, in Cæſarem uoluntas prouintiæ reperiebatur.) ἀντιφώνημα eſt. Se ſe in Italiã uenturum promiſiſſet &c.) Librarij erratum in Aldinis, Gryphianis, & Vuolffianis codicibus eſt, ſicuti & paulò ſuperius, ſeſeq; Hiſpali recepit, pro Hiſpalim. Nam hic pro in Italiam, legendum eſt Italicam quod Hiſpaniæ ulterioris

alterioris oppidum est: unde Silius ille Italicus egregius poëta ortum trahit. Massilienses omnibus defessi malis &c.) Ab Hispanis rebus ad Gallicas reuertitur.

Ex ijs unum ipsius.) suple Domitij, modo enim dit, L. Domitium tribus comparatis nauibus, duas familiaribus suis attribuisse, unam uerò, hoc est, tertiam ab ipso conscensam. Curio in Africam profectus est,) de quo uide in superiore libro. Hic locus abest à Clupeis.) suple minoris Aphricæ oppido, ut Mela lib. 1. testatur. Porrò quum Græci ἀσπίς, id est, clypeus uocetur, haud dubie & à Latinis Clupæ, quasi Clypeæ locus dictus est, quod clypei formam haberet. Vide Strabonem lib. 6. Ad prædonum bello &c.) Aut à scribendum, aut ex legendum, sicut prædicta duo, & Beroaldinum habet exemplar. Adrumentum, suple eiusdem Aphricæ minoris urbem, de cuius egregia munitione infra ab exordio fermè lib. 5. habetur.

Veritus q.) scilicet L. Cæsar, ne multitudo nauium suarum ipsum hostibus conspicuum faceret, ac proderet: modò enim dixerat Cæsar, eum cum decem longis nauibus ad Clupeam, Curionis aduentum præstolatum esse.

Id oppidum C. Considius Longus.) uidelicet qui Pompeianas sequebatur partes, ut infra ex initio lib. 5. Hirtiani clarum fit. Hanc remulco abstraxit &c.) Remulco, inquit, Pompeius Festus, est cum nauis magna scapha remis trahitur. Et Nonius Marcellus ait, remulcare dictum esse, quasi molli, ac leni tractu ad progressum mulcere. Sisenna lib. 2. historiarum. Si quæ celeriter solui poterat in altum, remulcare trahit. Castra Corneliana.) Lucanus lib. 4. Pharsaliæ hæc loca primum Antei gigan-

tis regna uocitata esse perhibet: & uulgatam eius rei fabulam narrat. Cur autē deinde Corneliana castra dicta sint, idem paulo post his carminibus rationem reddit, dicens:

Sed maior dedit cognomina collibus istis
Pœnum qui Latijs reuocauit ab arcibus hostem
Scipio: nam sedes Libyca tellure potito
Hæc fuit, en ueteris cernis uestigia ualli,
Romana hos primum tenuit uictoria campos.

Curio castra Varri conspicit &c.) Hic nimirum Actius Varrus fuit, qui antea Auximi in præsidio constitutus, urbe capta profugerat: sicuti Cæsar supra ab exordio, & meditullio lib. 1. de bello ciuili memoriæ prodidit.

Imperator appellatur &c.) Imperator is apud ueteres Romanos (teste Appiano) dicebatur, cuius ductu decem millia hostium essent cæsa: quem nunc uulgò summum capitaneum uocant, qui alios multos sub sua potestate habet duces. Quod uerò Cæsares postea hoc nomine uocabantur, hanc factum est ob causam, quod regis nomen populo Romano inuisum, illud autē plausibilius esset: quippe quondam libertatis speciem præseferens, quum reipsa imperatoris maiestas nil nisi mera dominatio esset.

Plures authores.) id est, causæ, ita ut ad rem referatur, non ad personam: id quod sequentia haud obscure indicant, quando ait, Ciuile bellum &c.) Porrò autem ὁ λόγος οὗτος ἀναντιπόδοτός ἐστι. Quocirca orationis defectus ita supplendus est. Ciuile bellum.) suple in quo nihil sanctum, pium, nec quicquam turpe ducitur.

Genus hominum.) hoc est, milites. Quod liceret libere facere, & sequi, quod uellent.) Recte quidem. Nam

& poëta sic de isthoc hominum genere canit:

Nulla fides, pietaśq; uiris, qui castra sequuntur:
Venaleśq; manus, ibi fas, ubi maxima merces.

Legiones hæ, quæ paulò ante apud aduersarios fuerant.) *Suple etiam timoris, ac trepidationis authores erant in Curionis exercitu. Modò enim dixerat Cæsar, Curionem eas recepisse legiones, quas superioribus tẽporibus ex Corfinio ipse acceperat: adeò ut paucis centurionibus mutatis, ijdem ordines, manipuliq; constarent.*

Nam etiam Cæsaris beneficium mutauerat consuetudo.) *Parenthesis hic in Gryphianis Aldinis & Vuolfianis codicibus non in loco posita uidetur. Est nanq; continens αἰτιολογία, in qua causam reddit, cur nam legiones, quæ apud hostes fuerant, terroris causa fuerint. Quia, inquit, consuetudo suple colloquij cum Quintilio Varro habiti, Cæsaris beneficium mutauerat: id est, beneficentiæ ad Corfinium acceptæ immemores reddiderat. Quum enim ipsos necare potuissent, incolumes in suam accepit militiam*

Quæ offerentur &c.) *Alij libri, qua legunt, & mea quidem sententia melius, ut sit sensus: quascilicet consuetudine colloquij, municipia etiam diuersis partibus scilicet militum coniuncta efferrentur. Id quod sequentia declarant, quando ait: Neq; enim ex Marsis Peligniscq; ueniebant, supple omnes istarum legionũ milites, sed alij aliunde. Vt qui superiori nocte in contubernijs, commilitesq;.) scilicet fuissent. Atq; hæc mea cõiectura, in tam deprauato, ac mutilo, hiatibusq; pleno loco est: quàm eatenus seruabo quatenus in emendatius exemplar incidero, aut commodiorem*

rem ab alio interpretationem didicero. Nonnulli grauiores ſermones militum uulgò durius accipiebant.) hoc eſt, rem à Quintilio Varro narratam, & inter milites ſparſam aſperiorem eſſe quàm pro re putabant: uidelicet niſi eius ſolicitationi auſcultaſſent. Eſtq; hic nouæ ſententiæ initium, nI cohærentis cum ſuperiori. Mox enim ſequitur altera epanodi pars. Nonnulla etiam ab ijs &c.

Concilio conuocato.) ſuple primorum ordinum.

Quod huiuſmodi militum conſilijs otium maximè contrariũ eſſe arbitrarentur.) iuxta illud Curionis apud Lucanum lib. 4. ſub finem:

Variam ſemper dant otia mentem.

Porrò erant &c.) Altera ſententia in concilio dicta.

Curio utrunq; conſilium improbans, quantum alteri ſententiæ.) hoc eſt, poſteriori. Tantum alteri.) hoc eſt, priori, quæ caſtra Varri oppugnanda cenſebat Hos.) ſuplendũ, poſterioris ſententiæ authores, illos ſcilicet prioris Atq; hæc cõfutationis Curianæ propoſitio eſt. Qua enim, inquit, fidutia &c.) Confirmatio prioris ſententiæ in propoſitione. Quum enim quidam decernerent, Varri caſtra primo quoq; tempore oppugnãda, per argumentum à difficili ſumptum probat, non facile factu quod ſuaderent. Deinde quando Martis aleam potius ſubeundam dixerãt, quam expectandum, ut à ſuis circumuenirentur, hoc eos non cogitaſſe ait: quod ſi inferiores, & accepto detrimento ab oppugnatione diſceſſerint (id quod fieri poſſet) militum animos alioquin ad defectionem ſpectãtes, magis propenſos fore ad deficiendum ad hoſteis: propterea quod felicitas rerum geſtarum imperatoribus militum beneuolentiam,

tiam, & è contra res aduersæ odia conflent. Castrorum autem mutatio &c.) Alterius sententiæ refutationem aggreditur, cur uidelicet, si in castra Corneliana retrò cederent, nil nisi turpissimam fugam, ac exercitus alienationẽ reportaturi essent. Neq; enim, ait, mi l tum animi hoc temporis spatio interiecto (ut uos conijcitis) sanarentur, sed magis sautiarẽtur. Nam si boni, & prudentes sunt uiri, ægre laturi essent, sinistram de ipsis suspitionem aut timoris aut defectionis concipi: atq; ita bene antea de nobis sentientes, & animati, malè sentirent, & animum ad pugnam antea promptũ desponderent. Sin uerò aperte improbi, ac imprudentes sunt, satius est, eos ignorare, se timeri: ne his timor licentiam maiorem, illis uerò pusillanimitas, & exasperatus animus studia diminuat pugnandi, ac in officio perseuerandi. Quod si iam inquit explorata habemus &c.) Per concessionem rethoricam inquit, esto uerũ sit, quod de exercitus alienatione dicitur, (quod tamen ego aut prorsus uanum, aut rumore minus esse confido) an non prudentium, ac circumspectorum ducum interest, perinde exercitus incommoda dissimulare, occulere, ac tegere, ac corporis uulnera dissimulantur, occultantur, ac teguntur? Deinde amplificationẽ à temporis circumstantia tractam subiungit, quod frustra noctu fugam adornandam existiment. Quum enim militum animi pudore, ac metu in officio contineantur, nox uiriq; rei obest: pudorem namq; omnẽ malis hominibus excutit, & timidis timorem auget. Quare neq; tanti sum animi &c.) Epilogus est, in quo potissima duo argumenta repetit, & quid faciendum sit, indicat. Dimisso concilio, contionem aduocat

militum &c.)Hinc patet Curionem primum cum militibus primorum ordinum, hoc est, tribunis militum, centurionibus, & signiferis tantum consultauisse: deinde uerò negotium ad totam militum concionem retulisse. Cæterum oratio ista generis suasorij est. Dissuadet enim illis, ac dehortatur, ne à Cæsare, atq; ipso eius prætore, ad hostes deficiant. Ac in exordiolo quidē fauorem à militibus captat, dum pristinam eorum fortitudinem deprædicat. Deinde iugulum causæ petens, turpitudinem, quidem defectionis illis ob oculos ponit, sed ita tamen ut beneuolentiæ melle orationis amaritudinem condiat dum ait: quid gratius inimici de uobis statuere possēt, q̄ ut eas prodatis, qui suam in bello ciuili felicitatem uobis acceptum ferūt? Ita nanq; beneuolentiam supra captā renouat. Postremo aduersariorum argumenta diluit, ac tandem operæ, & diligentia sua se eis non defuturum pollicetur. An uerò in Hispania res gestas Cæsaris &c.) Per collationem uicti, & uictoris suadet hunc potius, quàm illum sequendum esse. Duos pulsos exercitus.) Suple Afranij, & Petreij qui primum seiuncti, postea coniunctim fusi, & capti sunt. Duas receptas prouintias.) Suple citeriorem, ac ulteriorem Hispaniam. An qui incolumes &c.) Argumentum à maiore ad minus. Vos autem incerta uictoria.) Argumētum est ex absurdo, & stulto tractum. Desertos enim se &c.) Refellit Quintilij Varri argumenta per occupationem. Siquidem particula, enim, hoc loci non rationalis, sed uel expletiua, uel aduersatiua uidetur. Relinquitur noua religio &c.) ἀφωνεκῶς hæc intelligenda sunt. Capitis diminutione &c.) Caput (annotatore Cælio

Cælio) apud Iureconsultos statum significat, & capite diminuti, qui cum sui iuris fuissent, cœperunt alieno iuri subiecti esse. Vnde iam facile colligitur, L. Domitio nullam amplius potestatẽ fuisse, milites sacramento sibi obstrictos tenere: quippe quãdo ipse in hostium potestatem uenisset, pristinumq; suũ statũ, ac dignitatẽ amisisset. Quocirca sequæbatur, milites sacramento illo solutos, nulla amplius religione Domitiana teneri. Prædicaturos nõ sum.) Præteritio schema rhetoricum est. Ait enim sua erga milites beneficia præteriturum, quum tamen postea recensent. Hac uos fortuna.) Epilogus est, in quo ea præcipuæ argumenta repetit, quæ maxime ad dehortandũ milites à concepta defectione ualebant. Erat uallis inter duas acies &c.) τοπογραφία est. Vt supra demonstratum est.) suple ante duas pagellas. Hanc ute: q; si.) Et hic si pro an positum est. Et duas Marrucinorum cohortes &c.) Volaterranus lib. 6. Geographiæ ex Strabonis sententia, ultra Picenum, Vestinos, Marrucinos, Marsos, Perentanos, Pelignos, & Samnites Italiæ populos, omnem regionem montanam incolere dicit. Sublatum ad eius conatum scuto.) id est, quum Fabij conatum uidisset Varrus, humerum apertum scuto protexit.

Portæ castrorum occupantur.) scilicet ab Actianis.

Sed quũ loci natura &c.) Paulò superius in hoc eodem libro Cæsar ait, Varri castra muro, oppidoq; Vticæ coniuncta fuisse ad portam, quæ Bellica uocabatur, & admodum munita loci natura erat: una ex parte ipso oppido Vtica, altera theatro, quod erat ante oppidum substructionibus eius operis maximis, aditu ad castra difficili, & an-

gusto. *Erat in oppido multitudo insolens belli &c.* Causas ostendit, cur Vticenses pleriq; omnes ad deditionē spectauerint. primum ob belli insolentiam, & diuturnam pacē. Deinde quod Vticenses propter Cæsaris beneficia illi amicissimi essent. Postremò quia ex uarijs hominum generibus multitudo constabat facile ex superioribus prælijs infelicibus terrebantur. Porrò & hic Gryphiana, Aldina & Vuolffiana exemplaria corrupta sunt. Nam pro conuentus substituendum est, erant. Et deinde pro qui, legendum est, quum etiam ex uarijs generibus constaret, suple multitudo. Nisi forte synthesim esse placet, si illa exemplaria sequamur, & constarent legamus. Quibus omnibus rebus sublatus &c.) Lucanus sub finem li. 4. hisce modis Curionis insolentiam, & studium ad pugnandum cum Iuba describit:

——— quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataq; fœda
Terga fuga: donec uetuerunt castra cecidit &c.

Relictis munitionibus.) scilicet castrorū suorum ad Vticam. Et controuersijs Leptitanorum.) id est, incolarum Leptis oppidi in minore Africa, ut testatur Mela li. 1.

Sàburam eius præfectum &c.) Lucanus in iam citato loco Saburam istum secundum à rege fuisse sic canit.

Mittere exigua qui prælia prima lacessat
Eliciatq; manu, Numidis à rege secundus:
Vt sibi commissa simulator Sabbura belli.

Multum ad hanc rem probandam adiuuat adu.) Adulescentia namq; feruentior, & magis temeraria est, quàm æ-

ras uirilis. Eadem de Curionis magnanimitate Lucanus refert, Cæsareanæ sententiæ ita subscribens:

Digna damus iuuenis meritæ præconia uitæ,
Haud alium tanta ciuem tulit indole Roma:
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.

Et sex millium passuum interuallo &c.) Lucanus insidiarum locum ita scribit:

Ipse caua regni uires in ualle retentat.

Proximaq; respiciens signa.) id est, uexilla suorum.

XVI. millium spatio &c.) Tantum enim spatium inter Corneliana castra, & Bagradam fluuium (ubi Sáburæ castra erant) fuit. At Curio nunquam amisso exercitu &c.) Eadem Lucanus de Curionis exitu, & fortitudine narrat, sic canens:

Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam, cecidit q; in strage suorum,
Impiger ad lethum, & fortis uirtute coacta.

ARGVMENTVM LIB. III.
DE BELLO CIVILI
Per Ioan. Rhell.

Primò loco ingentia Pompeij auxilia describit. Secundò pacē rursus Pompeio per L. Vibullū Rufum oblatā, & tamen ab eodē paruifactā. Tertiò castris utrinq; ad Dyrrhachiū positis, ac leuibus cōmissis prælijs: maxima rerum necessariarū penuria utrumq; exercitum laborasse. Quartò pugna in pharsalico campo facta describitur: ex qua Pompeius inferior discedēs, ac in Aegyptum fugiēs, illic

per

per insidias occisus est. Postremò belli Alexandrini uelutì seminarium quoddam proponitur.

IN C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIB. III. IO.

Rhellicani Annotationes.

DICTATORE habente Comitia Cæsare.) In superiore li. de bello Ciuili Cæsar ipse testatur, se quum Massiliæ uersabatur audisse: Quod à M. Lepido prætore Dictator esset dictus. Is enim erat annus, quo per leges.) Earũ legum una annaria uocabatur, teste Pomponio Læto, qua annorum modus finiebatur, quibus magistratus capiendi potestas esset. Quæ autem leges annorum consulatus propriæ fuerint, me nondum apud authores legisse ingenuæ fateor. Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum.) Tabulæ nouæ hinc dictæ sunt, quod quum (inquit Cœlius antiquarum lectionum lib. 7.) pecuniæ creditæ obæratis condonantur, & nouæ mox cooriuntur tabulæ, quibus nomina contineantur noua. Id quod & Cicero his uerbis alibi declarat: Tabulæ nouæ quid habent argumenti, nisi ut emas meâ pecunia fundum, eum tu habeas

ego

ego non habeam pecuniam. Qui se illi in otio &c.) Beroaldinum exemplar odio ciuilis belli habet, quarum utraq; lectio ferri potest. Si enim legas in otio, sensus est: qui se illi obtulerant rebus adhuc illius tranquillis, & saluis. Sin autem odio, sensus erit, ita se Cæsari obtulisse, ut bellum Ciuile, quod oderant, tandem in alterutram cadente uictoria partem finiretur. Proinde.) Beroaldus perinde, & pro suffecisset potestatem rectius legit fecisset.

His rebus, & ferijs Latinis &c.) Quales fuerint, & unde dictæ sint feriæ Latinæ ex Macrobij loco lib. 1. Saturnaliorum cap. 16. patet. Præliares, inquit, omnes quibus fas est res repetere, nec hostĕ lacessere. Nam cũ Latia, hoc est Latinarum solennia concipitur, item diebus Saturnaliorum: sed & cum mundus patet, nefas est prælium sumere. Quare nec Latinarum tempore, quo publicæ quondam indutiæ inter Romanum populũ, Latinosq; firmatæ sunt, inchoari bellum decebat &c. Cycladibusq; insulis.) suple maris nostri quæ (ut Plinius lib. 4. cap. 12. testatur) à promontorio Geresto circa Delũ in orbẽ sitæ sunt: unde & nomen ἀπὸ τοῦ κύκλου traxêre. Quæ autem illarum nomina sint, & quem habeant situm, Plinium, & decimam Europæ tabulam apud Ptolemæum consule.

Corcyra.) penultima longa ut est apud Lucanum uidere non in uno loco. Ea autem insula uicina est mari Adriatico, testante Mela libro 2.

Ponto, Bithynia.) suplendum regionibus Asiæ minoris. Quas traduxerat.) suple in Græciam. Deiotarius adduxerat &c.) Deiotarius Armeniæ rex fuit, de quo multa in Oratione Ciceronis

pro eodem, & infra lib. 4. belli Alexandrini. Quos ubi.) ibi ſcribendum eſt, (ut Aldus, & Gryphius habet) tametſi Beroaldinum exemplar, ſibi legat. Ex Gallogrætia.) quæ eadem & Galatia à Plinio lib. 5. cap. ultimo dicitur. Agros autem Phrygiæ ea regio magna ex parte complectitur, eodem Plinio teſte. De qua uideto primam Aſiæ tabulam in Ptolemæo. Hippotoxotæ.) id eſt, equites arcubus utẽtes, & iaculis. Hinc Bardanos, Beſſos.) De Bardonis nihil adhuc inueni apud Geographos. De Beſſis autem Straboli 7. Aemi accolæ, inquit, & qui uſq; in pontum uergunt Coralli & Beſſi. Ex quo loco apparet eos Thraciæ populos eſſe. Siquidẽ Aemus altiſsimus mõs eſt, qui mediam Thraciam interſecat. Cyrenis.) uel oppido, uel populis Africæ, unde & Cyrenaica regio dicitur. Ad eum locum, qui appellatur Pharſalia &c.) Quandoquidem pugna tandem maxima inter Cæſarem, & Pompeium in hoc loco facta eſt, operæpretiũ erit noſſe, in qua Græciæ parte ſitus fuerit. Plinius itaq; lib. 4. cap. 8. Pharſalicos campos ſimul cum libera ciuitate in Theſſalia ponit. Cæterum Paulus Oroſius lib. 6. cap. 15. locum iſtum in quo pugnatum eſt nõ Pharſaliam, ſed Palæopharſalum uocat, hoc eſt, ſi Græcanicum ἔτυμον ſpectes, antiquum Pharſalum. Erat Orici Lucretius &c.) Mela lib. 2. Geographiæ, Oricum primam Iſtricarum urbium eſſe dicit. Quibus iuſſu D. Lælij præerat.) Lælius nanq; Aſiaticis nauibus à Pompeio prefectus erat, uti Cæſar ipſe modò commeminit. Offenderunt.) hoc eſt, impegerunt, abſolutè nanq; hic poſitum eſt. A Salonis.) ſuple oppido Iſtriæ regionis: quod tamẽ Pomponius Mela ſingula-

singulariter, non pluraliter flexit. In Cæsaris com-
plexum ueniret.) id est, in congressum militarem, et ut pla-
nius quod sentio dicam, si contingeret cum Cæsare con-
gredi. Liburnarum.) suple nauium uelocissimarum,
quæ à Liburnis populis primum inuentæ sunt. Con-
citatis Dalmatis.) scilicet Pannoniæ populis. Etenim Pli-
nius lib. 3. cap. 25. eam Pannoniæ partem, quæ mare Adri-
aticum spectat, Dalmatiam uocat. Et præfectis o-
mnium mulierum crinibus &c.) Quum dicit torme̅ta ex
mulierum capillis esse facta, synecdochice nimirum loqui-
tur: quippe ut totum pro parte accipiens, innuat, neruos
balistarum, seu scorpionum inde factos esse. Quinis
castris, id est quinq;. Distributiuum enim nomen pro car-
dinali positum est historico & Poëtico more. Iam q;
hyems appropinquabat &c.) Necessum est hanc Salona-
rum oppugnationem ante Cæsaris in Pharsaliam traie-
ctionem contigisse. Quum enim non tantum Cæsar supra
dicat, se ipsis Ianuarij Nonis à Brũdusino littore solui sse,
uerumetiam Lucanus lib. 5. Pharsaliæ asserat eundem à
Brundusio nauigationem instituisse, quum æquora prius
lenta alto iam torpore ligata, & unde pigrius immotis pa-
ludibus hæsissent: nullo sanè pacto hyems appetebat, sed
rigidissima iam erat, si post utrunq; Cæsaris commeatum
in Græciam isthæc cum Octauio gesta sunt. Id quod &
paulo superius ex hoc eodem libro apparet, ubi ait: Bibu-
lum grauissima hyeme in nauibus suis excubasse, ut ulti-
mum Cæsaris comeatum exciperet, naueisq; eius incende
ret. Quo fit, ut per hyemem hic non tempus hybernum, sed
tempestatem intelligam: ob quam obortã Octauius præter

alias calamitates acceptas à Salonarum oppugnatione deſtiterit. In Candauia &c.) Plinius lib. 3. cap. 23 montes Candauiæ in Macedonia ponit. Et Volaterranus lib. 8. Geographiæ ei ſubſcribit. Vnde apparet Candauiam Macedoniæ regionem eſſe perpetuis montibus cinctam. Parthinorum.) ſcilicet populorum Macedoniæ, de quibus Plinius in proximè allegato loco.

Calenus legionibus, equitibuſq; Brunduſij &c.) de hoc Cæſaris mandato lege ante duas pagellas. Erat res in magna difficultate.) res ſcilicet Bibulinæ claſſis.

Cum M. Acilio, & Statio Murco legatis &c.) Paulo ſuperius Cæſar ait L. Torquatũ & ſe, & Oricum ei dediſſe, ideoq; ueriſimile eſt, illos legatos in oppidi præſidio relictos. Quod autem de iſtius oppidi muris hic loquatur, & præcedentia (quæ modo allegaui) & ſequentia teſtimonio ſunt. Mox enim ſequitur, Cæſarem reuerſum eſſe Oricum, atq; inibi Libonem, & Bibulum ad colloquium ab eodem euocatos.

Vlteriores ciuitates.) ſcilicet Græciæ, ſtatim enim ſequitur. Erat autem ad Butrotum oppoſitum Corcyræ &c. quod affirmante Pomponio Mela lib. 2. Epiri oppidum eſt. De quo, & reliquis prædictis, & dicendis in hoc libro 5. decimam Europæ tabulam conſpicito.

Ex ædilitate, & prætura &c.) Quod ad ædilitatem Cæſaris cum Bibulo geſtam adtinet, Suetonius Tranquillus ſimultatem inter eos ſic conflatam eſſe in Iulio narrat. Aedilis præter Comitium, ac forum, baſilicaſq; etiam Capitolium ornauit, porticibus ad tempus extruxit: in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur.

exponeretur. *Venationes autem ludosq; & cum collega, & seperatim ædidit. Quo factum est, ut communiũ quoq; impensarum solus gratiam caperet, nec dissimularet colle-* gaeius M. Bibulus, *euenisse sibi, quod Polluci. Vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta tantum Casto-* ris uocaretur: *itam suam, Cæsarisq; munificentiam unius Cæsaris dici. Quod uerò ad prætoram, Tranquillus quidem consulatus cum Bibulo gesti, non prætoræ meminit: in quo quia cuncta ex arbitrio suo gerebeat, hi uersus in illos lusi sunt:*

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:
Nam Bibulo fieri Consule nil memini.

Ipsi reciperent.) id est, pollicerentur. *Ipse ut aqua terraq;, &c.*) Aqua scilicet dulci. Supra enim asserit Bibulanos præ huius aquæ inopia, cœlestem rorem expellibus expressisse. *Illud.*) suple marinas, id suplendum, terrestreis custodias. *Illineq; legatos Cæsaris recipere.*) id est, recipiebant, hoc est accipiebant, quo uerbo ipse Cæsar paulò ante utitur. *Periculum præstare.*) Præstabant, hoc est, si Cæsaris legati inter Pompeianos periclitarentur, non spondebant, se Cæsari super ea re satisfacturos. Præstare nanq; hic forense uerbum est. *Vnum.*) id est, solummodo instare, instabant κατ' ἐξοχήν modi.

Grauiore morbo ex frigore, ac labore implicitus.) Paulò superius Cæsar scribit, Bibulum ipsum grauissima hyeme in manibus ad Orici portum excubasse: neq; ullum laborem, aut munus quantumuis abiectum detrectasse. Ex isto igitur frigore, & labore insueto morbum contraxeret. *Vibullius sedato tumultu &c.*) Quis fuerit

tumultus

tumultus ille ex superioribus liquet, ubi Cæsar inquit, Vi bullium prius de Cæsaris aduentu, & præsentia, in Græca terra Pompeium certiorem feciſſe, quàm illius mandata referret. Quo nuntio Pompeius adeò consternatus sit, ut maioribus itineribus, quàm solitus esset) Apolloniam contenderit. Fugitiuis ab saltu Pyrenæo &c.) Afranianos, & Petreianos haud dubie innuit, quos supra lib. 1. bellorum Ciuilium legimus. Ilerda relicta Octogesam petijsse: autem Pyrenæos monteis hinc inde errasse, ac bis tandem cum Cæsareanis collocutos. Iisdem temporibus Romæ M. Cœlius &c. (Intermissa aliquantisper re bellica, ad urbanas describendas uenit. Quum enim ab exordio huius libri monuisset, fidem in tota Italia adeò angustam fuisse, ut neq; creditæ pecuniæ soluerentur, ideóq; se costituisse, ut arbitri darentur, per quos rerum, & possessionum æstimationes fierent: nunc quem exitum ea res sortita sit, prosequitur. Quod autem dicit, Cœliũ Rufum prætorem causa debitorũ fuscepta suple ad defendendum, initio magistratus, tribunal suum iuxta C. Trebonij prætoris Vrbani sellam posuisse, geminum sensum habere potest, uel quod Rufus peregrinus fuerit prætor, & tribunal suum iuxta curulem Trebonij sellam ponendo, se ei æquare uoluerit: uel quod hastæ, ac litibus dirimẽdis uterq; esset iudex ex æquo. De quibus legito plura apud Feneſtellam, & Pomponium Lætum de Prætorum dignitate, & officio. His temporibus.) uidelicet tumultuosis. Atq; ipsis.) suple debitoribus, ad quorum commodum pertinebat, durior inuentus est Cœlius &c. Mirã ergo duritiam, & immanitatem in hoc homine fuisse oportet. Nemo enim facile

facile remittit, quod ad priuatum commodum suum pertinet: & quisq; suæ, quàm alienæ causæ uehementior, & acrior patronus est. Ne frustra ingressus turpem causam uideretur.) id est, ne frustra debitorum patronum ageret aduersus creditores, ne uidelicet illi his satisfacere compellerentur. Quod sanè perquàm turpe patrocinium erat. Obseruanda est autem loquendi forma, ingredi alicuius causam, id est, suscipere ad defendendum quod Germani dicunt, an eines sach stan. Seruilius consul.) suple quem Cæsar secum consulem creatum esse à libri huius capite asserit. Et concionari conantem de rostris deduxit &c.) Liuius li. 8. urbe cõdita quid rostra, & unde dicta sint, hisce uerbis exponit. Domitis Latinis, naues Antiatiũ partim in naualia Romæ subductæ, partim incẽsæ: rostrisq; earũ suggestum in foro extructũ adornari placuit, rostráq; id templum appellatũ. Atq; eo in Italiam euocato.) scilicet ex Massilia, ubi propter homicidium commissum exulabat. Atq; cum in Turinum.) suple agrum Turio Italiæ oppido adiacẽtẽ præmisit. Visáq; proditione.) proditio legẽdũ est, & textus iuxta Beroaldi distinctionem ita distinguendus: & familia Neapoli uisa, atq; proditio oppidi appareret, & cætera. Quod conuentus.) suple Capuanus arma cœpêrat. Quibusdam solutis ergastulis &c.) Ergastulũ, & ergastulus (teste Nonio Marcello) ut genere, ita & intellectibus differunt. Nam neutro carceris locus est. Masculino aũt custos pœnalis loci quem Græci δεσμοφύλακα uocant. Lucilius lib. 15. Non ergastulus unus, & alius iudicem apposuit, ut nemo sententiam libere, quasi ergastulus posset dicere, hæc ille. Si quis uerò

nominis

nominis ἔτυμον requirit, Sypontini cõmentarios linguæ Latinæ consulat. Peruenit Turios.) uel populos, uel oppidum: quod tamen Pomponius Mela lib. 2. Turium singulariter declinat. Libo profectus ab Orico &c.) A' domesticis rebus ad bellicas redit. Quum nanq; non ita multò ante meminisset colloquij inter Libonẽ, & sese, Item mortis Bibulinæ ad Oricum: iam quo pacto inde, & quorsum profectus sit, enarrat. Insulamq;, quæ contra Brundusinum portum est &c.) Plinius lib. 3. cap. 16. tradit, paucas insulas in Calabro littore ante Brundusiũ sitas, quarum obiectu portus efficiatur. De quo uide Ptolemæum li. 3. ca. 1. & tabula Europæ 6. Quàm omniũ.) suple locorum, ac portus custodia clausos, suple præsidijs Cæsareanis, de quibus in superioribus. Et adeò loci opportunitate profecit.) quod scilicet insulam è regione Brundusij sitam occupauerat, & Cæsareanos egressu prohibebat. Per causam exercendorum remigum.) id est ut remiges exerceret. Ad fauces portus, id est, angustias seu arctos ingressus: similitudine à re animata ad inanimatam sumpta. Signo dato in hostes incitauerũt.) Beroaldi exemplar legit, se incitauerunt. Hyems præcipitauerat.) supleto se, aut præcipitata iam erat, ita ut actiuum uerbum κατ' ἐναντίωσιν pro passiuo positũ sit, ut in illo Virgiliano: Nox præcipitat cœlo. Nã ea (inquit Seruius) uerba inuicem ponuntur, quæ passiua, & actiua esse possunt: ut auerto, & auertor, præcipito, & præcipitor. Sic & Liuius li. 7 deca: 3, Creditum inquit uulgò est. in puteum apertum ex equo præcipitasse. Et rursus lib. 9. decadis 4. Et pars maxima inermes per uiuia, & rupes de

ruptas

ruptas præcipitantes fugerunt. Significare autem uult, hyemem in exitu iam fuisse. Etenim quando Cæsar supra ait, se quinto Ianuarij die Brundusio soluisse, & hic multos iam menseis transijsse affirmat: dubio procul hyems iam in præceps ibat, hoc est, ad finem inclinabat. Quibus necessario cõmittendum existimabat.) quibus suplendum uentis, cõmittendum suple ex superiori, naues. Neq; uerò est quod quenquàm substantiui cum adiectiuo disconuenientia moueat. Nam committendum hic non participium, sed uerbum infinitiui gerundiuum est: quod neq; in numeros, neq; in personas, neq; in genera, neq; in tempora (authore Gellio.) distrahitur, sed omnia isthæc, una, eâdemq; declinatione complectitur. Quantoq; eius.) scilicet temporis, cuius occasionem Cæsareani neglexerant: tanto erant alacriores ad custodias qui classibus præerant, suplendum Pompeiani. Statim enim sequitur, Et crebris Pompeij literis castigabantur &c. Et paulo superius scriptum est, insulam, quæ contra Brundusinum portũ est, à Libone occupatam esse in hoc, ut Cæsareanos egressu prohiberet. Lenioribus uentis.) suple to spirare desinentibus. Modo enim ait, sæpe uentos flauisse, quibus necessariò naues committendæ fuissent à Cæsareanis. Eijcere naues, id est, appellere. Quanquàm Beroaldinus codex elicere habet. Hæc à custodibus classium.) uidelicet Pompeianarum. Nacti haustrum.) suple uentum secundum ijs, qui ex Italia in Græciam nauigant. Mox nanq; sequitur, haustrum aliquandiu remissius flantem tandem rursus increbuisse, Cæsareanisq; præsidio fuisse. Nacti portum, qui appellatur Nymphæũ &c.)

Plinius

Plinius lib.3.cap.22.nymphæum promontorium uocat. Vltra Lyssum.)supleto Liburnicæ regionis oppidum. Qui portus ab Africo tegebatur.) Africus uentus est lateralis,qui ab occasu hyberno cõtra Vulturnum spirat. Qui modò sibi timuerant.) ut Cæsareani, tutissimus portus.)scilicet nymphæum recipiebat. Qui nostris na.pe.intulerant.) suple Pompeiani. Nam præterue ctus.)mẽda rursus in Vuolffianis exemplaribus est. Nam præterue ctas legendum,ut referatur ad naueis. His temporibus Scipio detrimentis quibusdam &c. Supra sub initium libri primi de bello Ciuili Cæsar ait,Scipioni Syriam obuenisse.Nunc ergo describere incipit, quo pacto se in prouintia sua gesserit: & cur tãdem Pompeianis copijs se adiunxerit. Circa montem Amanum.)suple Phœnices regionis,teste Pomponio Mela lib.1. Deductis Pergamũ.) nobilissimam Asiæ urbem de qua Strabo li. 13. Columnaria,& ostiaria.)suple tributa de columnis, & ostijs factis,uel faciendis. Vt autem sic interpreter,non tantum rei circumstantia, sed etiam Andreas Alciatus celebris ille iureconsultus facit:qui in lib. Vlpiani 7. lege 139.de uerborum significatione ita scribit. Quum populo Ro.in Mutinæ obsidione belligeranti pecuniæ deesset,scribit Dion,senatorij ordinis uiris indictum,ut 4 obolos soluerent, in singulas quasq; tegulas ædificiorum, quæ Romæ incolerent:idem à triumuiris compulsos ciues ait ut ædificiorum,quæ Romæ habebant, pensiones penderent: quod munus colonarium appellari M. Cicerone ad Atticum epist.lib.13.& C.Cæsare bellorum Ciuilium cõmentario 3. ipse arbitror. Cuius uocis etiam in authenticis mentio habetur.

habetur, tametsi & columnarium legi posit. Honesta præscriptione.)id est, prætextu. Vectigal pro mutuo.)scilicet imperabatur, uti in sorte fecerant insequentis anni, id est, quanta pecuniæ summa uectigal in sequẽtem annum redemerant. Porrò Liuius lib.6. ab urbe condita sortem eadem propémodum dicendi forma, qua Germani houpt gut, cap. uocat, sic inquiẽs: Deducto de capite quod usuris pernumeratum erat. Cæsar Antonij exercitu coniuncto &c.)Redit ad sua gesta. Ante quàm enim Scipionis auaritiam, & crudelitatem describere cœpit, ait, se altero die post nuntium acceptum, ad Antonium peruenisse: nunc igitur quid coniunctis copijs actum sit, continuat. Regis Cotti.)scilicet Thratiæ, quem Volaterranus li.3. Geographiæ à partibus Pompeij stetisse putat.

Qui circum Thessaliam esse cõsueuerat.)recte. Supra enim asserit, L. Cassium Longinum cum legione tyronũ, quæ appellabatur uigesima septima, atq; equitibus ducentis in Thessaliam esse missum. Ad monteis, qui Thessaliam cingunt &c.)Plinius lib.4. cap.8. asseuerat triginta quatuor monteis in Thessalia esse, quorum hi nobilissimi sint Cerceti, Olympus, Pierus, Ossa: cuius ex aduerso Pindus, & Othrys Lapitharũ sedes ad occasum uergentes, ad ortum autem Pelios. Omnes inquit theatrali modò inflexi, caueatis ante eos septuaginta quinq; urbibus.

Ambratiam uersus.)suple Epiri oppidum, de quo Plinius eodem lib. cap.1. & Pomponius Mela lib.2. Est autem hæc uox per c uel t attenuatum, non asperatum scribendũ ut Florentina, & Vuolffiana æditio habet. Scipio in castris statiuis &c.) De huiusmodi castris Vegetius lib.3.

cap. 8. in hæc ſcribit uerba. Statiua caſtra æſtate, uel hyeme, hoſte uicino, maiori labore, ac cura firmantur. Nam ſingulæ centuriæ, deuidētibus campiductoribus (ſic nanq; iſthic legendum arbitror) & principibus, accipiunt pedaturas: & ſcutis, ne ſarcinis ſuis in orbem circa propria ſignа depoſitis, cincti gladio, foſſam apperiunt latam aut nouem, aut undecim, aut tredecim pedibus, uel ſi maior aduerſariorum uis metuitur, pedibus ſeptemdecim (imparē enim numerum obſeruari moris eſt) tum ſepibus ductis, uel interpoſitis ſtipitibus, ramiſq; arborum (ne facile terra dilabatur) agger erigitur &c. Vnde colligo ea planè caſtra à Vegetio innui, quæ uulgus noſtrate einſchantz uocat, & ſtatiua caſtra facere ſich inſchantzen. Deductis oræ maritimæ præſidijs Cæſar, ut ſupra demonſtratum, &c.) Ante duas nanq; pagellas refert, Cæſarem Antonij exercitu cōiuncto, legionē ab Orico deduxiſſe: quam tuendæ oræ maritimæ cauſæ poſuerat. In quibus ad libra fecerat turreis &c.) In quibus, ſuple manibus. fecerat turreis ad libram, id eſt, ad ſtateræ, & perpendiculi æquilibrium: ne uidelicet in alteram partem magis propendentes corruerent. Molem tenuit naturalem &c.) id eſt, tumulum. Contra oppidum.) ſuple Oricum.

Quatuor biremes ſubiectis ſcutulis &c.) Scutula præterquàm quod rotundum, & concauum uaſculi genus ſignificat, haſtam quoq; teretem denotat, qua lina tunduntur. Ex cuius nimirum ſimilitudine hoc loco teretia ligna nauibus ſubiecta, ut uectibus pelli queant dicuntur. Quæ Cæſar ſupra lib. 2. bellorum Ciuilium græca uoce phalangas: & Germani ea à deuoluendo Vellen uocant, uolutare

lutare enim Vualen illis dicitur. Ex utraq; parte.) *ſupleto oppidi Orici. D. Lælium ab Aſiatica claſſe, &c.*) *Supra à capite iſtius libri dictum eſt, D. Lælium Aſiaticis nauibus à Pompeio præfectum. Qui commeatus Biblide, atq; Mantinea, &c.*) *Biblis Phœnitiæ oppidum eſt, quod Mela lib. 1. Byblon uocare uidetur. Mantinea uero Peloponeſi oppidum, de quo Strabo lib 8. Cæſar poſtquàm Pompeium ad Aſparagum eſſe cognouit.*) *Superius ante treis pagellas Cæſar inquit, Pompeium ad Aſparagum Dyrrhachianorum contendiſſe, ubi audiuerat Antonij, & Cæſaris exercitum coniunctum eſſe. Nunc uerò quibus modis ipſe eôdem peruenerit, & caſtra iuxta eum metatus ſit, declarat: donec tandem Dyrrhachium peruentum eſt, ubi rurſus utriuſq; imperatoris caſtra, obſidiones, & prælia graphicè depingit. Caſtellis enim 24. effectis, &c.*) *Talem Turcæ caſtrorum formam fuiſſe perhibent, qui obſidionem Viennæ Auſtriacæ uiderunt. Manuſata.*) *id eſt, ſegetes ligonibus, non aratro cultæ. Sic Vergilius lib. 3. Georgicorum:*

Sed frumenta manu carpes ſata.

Aut ex ſubcoactis &c.) *Calepinus declinat Subcoacta, æ, & molliorem pellem interpretatur: quæ ideò ſic uocetur quod alijs pellibus ſubiuncta ſit. Erat noua, & inuſitata belli ratio, &c.*) *Duas ob cauſas nouam bellandi rationem fuiſſe dicit, unam, quoniam plerunq; pauciores à pluribus obſidentur: at Cæſar hic militum numero inferior Pompeium ſuperiorem circumuallauit. Alterã quia et in hoc obſidiones fiunt ut hoſtes frumento, ac omni commeatu arceantur: at contra hic fiebat. Obſeſſis nanq; omnium*

nium rerum neceſſariarum copia ſuppetebat, & obſidentes ècontra maxima frumenti penuria laborabant. Recordabantur enim ſe eadem ſuperiore anno in Hiſpania perpeſſos, &c.) Quum enim caſtra ſua inter Sicorim & Cingam Cæſar poſuiſſet, adeò anguſta re frumentaria utebatur, ut annona ad denarios quinquaginta in ſingulos modios peruenerit: quum ècontra Afraniani omnium rerum copiam haberent, ſicuti ſupra lib. 1. bellorum ciuilium habetur. Meminerant ad Alexiam, &c.) In iſtius nanq; oppidi obſidione grauiſsima, eodem tempore & materiari, & frumentari Romani neceſſe habebant. Quæres ſatis arguit maximã annonæ anguſtiam illos perpeſſos. Multò etiam maiorem ad Auaricum, &c.) Illic nanq; complures dies frumento caruerunt, & tandem extrema inedia laborauerũt. De quibus conſulito ſeptimum librum de bello Gallico. Quod appellatur chara.) Carus legendum exiſtimamus, de quo Dioſcorides lib. 3. cap. 59. ſic ait: Caron exiguum, notumq; omnibus ſemen eſt, calefacit, urinam cit, ſtomacho accommodatum, & in cibo gratum eſt: concoctiones adiuuat, utiliter antidotis & axyporis miſcetur, aniſo proportione reſpondet. Radix elixa paſtinacæ modo ad edendum eſt. Plinius uerò li. 19. cap. 8. nec Charam, nec Caron appellare uidetur, ubi ſic ait: Nec non olus quoq; ſylueſtre eſt trium foliorum. Diui Iulij carminibus, præcipuè iocis militaribus celebratum. Alternis quippe uerſibus exprobrauêre Lapſana ſe uixiſſe apud Dyrrhachium, præmiorum parſimoniam cauillantes. Hactenus uterq; radicem à Cæſareanis militibus comeſtam innuit: ſed ille magis appoſitè, quàm hic. Nam Pli

niuſ

nius more Plutarchi, Lucani, & Appiani genus tantum herbæ, seu radicis attingit: propterea quod λαφάνη (Hesychio interprete) ἐστὶν ἀγρίων λαχάνων εἶδος ἡμέρων, hoc est, inter syluestria olera editur, quod quidam napium interpretantur, & Plinius ipse in eodem lib. cap. 5. napi quoddam genus esse dicit syluestre, cuius folia erucæ similia sint. Dioscorides uerò speciem herbæ non dissimili nomine quàm Cæsar appellans, magis ad Cæsaris locum intelligendum facere apparet. Quando autem idem author refert, carī radicem elixam pastinacæ in modum edi, sciendum est, maximum pastinacæ (Germanice pastaneier, uel girgili) prouentum in Bernensium hortis esse: & ouis frixas non elixas in magnis non tantum indigenarum sed etiam aduenarum præcipue Gallicorum delitijs esse. Quod admixtum lacte multum inopiam leuat, id similitudinem panis efficiebat, &c.) Plutarchus Cæsaris sententiæ ita adstipulatur ut uideri queat magnam huius historiæ partem ex illius commentarijs transcripsisse. Appianus uerò non ex radice, & lacte, sed ex pabulo panes esse pistos ait: nec à prætercurrentibus Cæsaris militibus eos panes in Pompeij exercitum iactos esse, quum hi illis famem exprobrarent: sed à transfugis huiusmodi panes ad Pompeium delatos, ut lætitiam inde caperet: neq; tamen illum ut prudentissimum imperatorem exhilaratum, sed sibi cum belluis bellum esse dixisse. Crebróq; uoces militū &c.) Plutarchus corticis arborum non meminit, sed à militibus Cæsareanis ad Pompeianos dictū, se quoad huiusmodi radices terra produceret, obsidionem Pompeij non derelicturos. Equos eorum.) suple Pompeianorum.

Cum angustijs loci &c.) *Supra ait, ex castello Cæsareano in castellum perducta munitione Pompeium interclusum, eidemq; maiorem exercitum. Fuisse quàm Cæsari. Ex tanta ergo hominum & brutorũ animantium multitudine in angustis locis uersante ingens pestis orta est. Huc accedebat & aquæ dulcis inopia, eo quod Cæsar omnes fluuios, ac riuos, qui ad mare (penes quod Pompeiũ castra erant) pertingebant, uel auerterat, uel obstruxerat.*

Aliæ enim sunt legati partes.) *id est, aliud est locum tenentis officium, atq;, id est, quàm imperatoris. Nam plura castella Pompeius pariter distinendæ.*) *id est, cohercendi, manus hoc est, exercitus causa. Atq; hoc est quod superius scribitur, quàmplurimos colles à Pompeio occupatos, ut quàm latissimas regiones teneret, Cæsarisq; copias quàm maxime distineret. Ita uno die sex prælijs factis, tribus ad Dyrrhachiũ, tribus ad munitiones.*) *Ex superioribus constat, utriusq; imperatoris castra propè Dyrrhachium posita fuisse, munitiones uerò longius prorogatas. Quam ob rem hic ait, quædã prælia ad Dyrrhachium, quædam ad munitiones esse facta. Et se in antiquas munitiones recepit.*) *nimirum ad æditum locum qui Petra appellabatur, ubi castra primum cõmunierat.*

Amphilochis.) *suple Acarnaniæ populis, de quibus Strabo lib. 7. Plinius tamen lib. 4. cap. 1. Amphilochicum urbem in Acarnania ponit. Vt demonstrauimus.*) *scilicet in hoc eodem libro, ubi ante septem pagellas ita incipit: Cæsar Antonij exercitu coniuncto, deducta Oricolegione &c.*) *Isthmum præmunire instituit.*) *Isthmus græce ἰσθμός terra inter duo maria arctata dicitur, quippe*

quippe inter *Aegeum*, & *Ionium*: Nam hic de Peloponesi Isthmo loquitur, de quo Plinius eodem lib. 5.

Delphos.) Locrensium oppidum, ut idem Plinius inibi cap. 3. asserit. *Thebas.*) eorundem Locrensium urbem, quas Plinius ibidem chorsicas olim appellatas esse meminit, iuxtaq; Heliconem montem sitas esse.

Orchomenum.) suple Arcadiæ urbem, de qua Pomponius Mela lib. 2. & Ptolemæus de istis omnibus lib. 3. cap. 15. tabula Europæ 10. *Non oblitus pristini instituti Cæsar.*) scilicet aduersarijs pacem offerre.

Authores eius rei.) suple nuntij perferendi de pace faciendæ. *Scipionem ea authoritate esse &c.*) Scipio ob generis sui amplitudinem, & quod Pompeij socer erat, eum magna ex parte compellere nolentem, ac errantem corrigere poterat. Estq; hoc argumentum suasorium à facili ductum, quemadmodum & & hoc, quod statim sequitur. *Præesse autem suo nomine exercitui &c.*) Quoniam Scipio (ut supra ex hoc lib. didicimus) detrimentis quibusdam ad montem Amanum acceptis, sese imperatorem appellauerat, non Pompeij, sed suo nomine exercitui præerat: ideoq; sequebatur, eum maximam componendi belli faculatem habere.

Quod si feciſſet, quietem Italiæ &c.) Quis & quantus fructus ex litium compositione secuturus esset, ostendit.

Vt supra demonstrauimus.) scilicet in eodem isto libro. Castra nanq; Pompeij in ædito loco sita fuisse, aditumq; nauibus mediocrem habuisse primũ narrat: deinde ait Pompeiũ 24 castellis effectis, 15. passum millia circuitu

amplexum, intra quod spacium pabulari solitus sit. Hos ergo aditus à se nunc obstructos esse Cæsar inquit.

Erant apud Cæsarem ex equitum numero &c.) Quo pacto Pompeius occasionem rei bene gerendæ inuenerit, dum eruptionem pararet, exponit. His domũ) supple in Allobrogibus. Ad omnes attulit) id est, apud omnes. Sed in illud tempus reseruari, pro illud Beroaldina & Aldina æditio, aliud, rectius legit. Vulgò uero.) id est, communiter suple trãsibant conscripti milites, scilicet à Pompeio. Sed hi uidelicet Roscillus, & Aegius fratres. Tegumenta galeis ex uiminibus facere &c.) In quem usum Pompeius hoc fieri iusserit, paulo inferius declaratur: nempe ut à lapidum ictu uimineis tegumentis galeis impositis tuti essent. Et uallus contra hostem &c.) Vallus (teste Vegetio lib. 3. ca. 8.) sudes, aut tribuli lignei sunt per ordinem digesti. Qui has duas munitiones.) scilicet ualli duplicis contingeret. Fossæq; aggere.) scilicet quem Pompeius antea in scaphas, & actuarias naues imponere iusserat. Vnde iam liquet in quem usum antea illum comportare mandauerit. Et legionarij interioris munitionis.) suple Pompeianæ. Quum enim Cæsar eum ex castello in castellum perducta munitione inclusisset, quàm plurimas, & latissimas regiones castellis, & præsidijs muniebat. Vnde relinquitur, & interiores, & exteriores munitiones Pompeio fuisse. Ab utraq; parte.) suple cum eorum Pompeianorum, qui nauibus circumuecti erant, tum qui ex interioribus munitionibus pugnabant. Multum autem ab ictu lapidum (quod unum erat nostris telum) uiminea tegumenta.) suple Pompeianorum,

norum, defendebant scilicet eosdem ab ictu lapidum.

Vitiũ munitionis, quod supra demonstratum est.) neme pe quod uallus transuersus contra mare, qui reliquos duos contingeret, nondum absolutus esset. Præter principem priorem.) scilicet cohortis, qui (teste Vegetio lib. 2. cap. 8.) centuriam, & semis, hoc est, centum quinquaginta homines gubernabat: & ad quem propè omnia, quæ in legione ordinanda sunt pertinebant. Castrorum.) suple Pompeianorum hic situs erat &c. Eo signo legionis illato.) scilicet à Pompeianis in ueteracastra, ut non ita multò ante scribit. Speculatores Cæsari renuntiauerunt.) suplendum, cohortes quasdam instar legionis sibi post syluam uisas. Is locus.) scilicet ubi cohortes Pompeianæ à speculatoribus Cæsareanis uisæ sunt. Erat obiectus portis eritius &c.) Eritium hic nec pro animante bruto, nec pro hominis proprio nomine accipiendũ puto sed pro instrumento ligneo multis aculeis instructo, quod etiam nostro tempore urbium portis, & castellorum mœnijs opponi uidemus, ut irruentium, & ascendẽtium impetum retardet, ac remoretur. Quam interpretationẽ uero cõsentaneam esse, sequentia coarguunt, ubi ait, excisóq; eritio &c. Munitionem, quam pertingere à castris ad flumen supra demonstrauimus &c.) Ab angulo enim sinistro, castrorum munitionem ad flumen perduxerat Pompeius circiter passus 400. Quod eam munitionem esse arbitrarentur.) quod, id est, eo quod arbitrarentur eam intellige portam esse munitionem, id est, cespitibus munitam & obstipatam: de quali porta supra lib. 5. de bello Gallico sub finem scribit. Porrò κατ' αὔξησιν munitam portam,

munitionem uocat, sicut Pamphilus Terentianus, ait, ubi illic scelus est. i. qui me perdidit. Ne in angustias incide= rent decem pedum munitionis.) id est in munitionem de= cem tantummodo pedes latam. Adeò ut cum Cæ= sar signa fugientium manu præhenderet, &c.) His par= tim consentanea, partim plura addens Plutarchus in hæc scribit uerba: Signa etiam corripienti Cæsari reiecerunt signiferi. Duo etiam & triginta in hostium potestatem ue= nerunt, & ipse Cæsar ne interficeretur parum abfuit. Nam cum procera statura, & robustissimo corpore uirum penes se fugientem iniecta manu consistere, & in hostem conuerti iussisset, ille terrore grauissimo perturbatus, eum gladio uulnerare molitus est. Ictum autem Cæsaris scuti= fer occupabat, eius abscindens humerum, &c. Cele= ritate insequentium.) suple Pompeianorum, paulo enim ante Pompeij equites angustijs, portisq; à Cæsareanis mi= litibus occupatis, ad insequendum tardatos esse dicit.

Duobus prælijs, &c.) Vno uidelicet ad munitiones Pompeianorum castrorum: altero in eiusdem castris.

Et notos equites Felginatem, &c.) Exemplar Beroal= di supra modum hic à Vuolffiano & Aldino uariat. Mul= tò enim plures de Cæsaris exercitu desideratos esse com= memorat illud, quàm hæc. Quoniam uero iuxta Plutar= chi sententiam in Pompeio circiter duo hominum millia ex Cæsareanis occisa sunt, Beroaldi castigationem magis quàm Vuolffij, & Aldi æditionem hac in parte sequen= dam arbitror. Duobus inquit his unius diei prælijs, Cæsa= ris desiderati sunt milites 900. & 60. & noti equites Ro= mani 400. & Tuticanus Gallus senatoris filius, & à Pla= centi=

ertia centum, & à Puteolis centum, & à Capua decem sacrati uiri, & decem tribuni militum, & centuriones triginta duo, & cætera. Cæterum in ista lectione per sacratos uiros Capuanos nimirum deuotos, & ita morti addictos innuit Cæsar, ut impune occidi, & uiolari possent. Sic enim ex Liuio sacrandi urebum Budæus interpretatur in annotationibus suis posterioribus in Iuris Pandectas.

Quo maior perfugis fides haberetur.) nam & ipse Labienus perfuga erat, quippe in Gallicis bellis Cæsarem secutus, & postea ciuilibus ingruentibus ad Pompeium deficiens. Obseruabis autem miram hominis istius sæuitiam & iuris gentium in occidendis captiuis uiolationem.

His rebus tantum fiduciæ &c.) Pompeianorum insolentiam in rebus secundis describit, & quàm stultum sit laudes ante solidam uictoriam canere. Obiectæ religionis.) suple neglectæ. Cæsar à superioribus consilijs depulsus.) uidelicet ut Pompeianum equitatum ad Dyrrhachiū contineret, & pabulatione prohiberet, quemadmodum in superioribus ipse consilium suum exponit Locum securum ad dimicandum dedisse.) suple quum Pompeianis insidias strueret. Peruenerat enim Cæsar eò priusquàm Pompeius sentire posset, & Pompeianos ex uallo deturbauit. Vti ad Gergouiam accidisset &c.) Ab exemplo ante actæ rei eos adhortatur ad animum recipiendum. Sicuti nanq; supra li. 7 de bello Gallico, de improuiso rei bene gerendæ occasionē sibi oblatam scribit, ne Gergoniæ obsidionē ob Heduorū defectionē, & alia infortunia omitteret: ita & hac in parte aliquid boni sperandū esse monet. Porrò & hic in Aldi, ac Vuolffij editione erratū est.

quod

quod sententiã mire obscurat. Nam pro is, ijs, & pro offer ret, offerrent habent: nisi forte ij legendũ, præsertim quan do uerbũ plurale offerrẽt, sequatur. Aut nisi quis ita intel ligere malit, ut Cæsar suos adhortetur, ne se ijs scilicet Põ peianis ultrò in pugna offerre detrectarent, quiante dimi care timuissent. Ante hac enim Pompeiani pugnam de trectauerant. Nonnullos signiferos ignominia nota uit.) Hæc ignominiæ nota hinc signiferis quibusdam inu sta est, quod (ut supra cũ ex Cæsare, tum Plutarcho didici mus) signa ex metu dimiserant. Vbi notandum boni, ac circumspecti imperatoris non tantum esse, ut bene meritos honoribus, ac premio afficiat (sicuti paulò superius Scæ nam) uerumetiam ut male meritos ignominia notet, ac pu niat. Sic nanq; fit, ut ignaui excitantur, & boni alacriores reddantur ad pugnam in posterum committendam.

Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor &c.) Appianus hoc amplius addit, quod solito plus contra semetipsos incanduerint, ita ut inopinata mutatio ne conuersi, more patrio decimam ipsorum partem à Cæ sare mulctari peterent. Cum superioris etiam ordi nis nonnulli.) utpote centuriones, & tribuni militum.

Conclamari iussit.) id est, ut conclamaretur, suple uasa militari more. Quid autem hoc sit, supra lib. 1. bellorũ Ci uilium enarrauimus. Veteribus suis in castris contra Asparagum &c.) Supra in hoc libro Cæsar refert se ca stra statiua ad Apsum flumẽ habuisse, & Pompeiũ quoq; sed hunc inde digressum omnibus copijs ad Asparagum Dyrrhachianorum peruenisse, atq; ibi idoneo loco castra posuisse, posteaquàm audiuerat Cæsarem Antonio con iunctum

iunctum esse. Vnde iam facile colligitur uetera Cæsaris castra contra Pompeij sita fuisse. Propinquitate superiorum castrorum.) supplendum ad Dyrrhachium fixorum.

Cæsari ad saucios deponendos, socios confirmandos.) Causas aliquot reddit, propter quas Apolloniam cum exercitu festinauerit. Timensq; Domitio.) scilicet Caluino, quem cum legionibus duabus undecima, & duodecima, & equitibus quingentis in Macedoniam proficisci iusserat. Vterq; eorum celeritati studebat, ut suis esset auxilio.) Cæsar uidelicet Domitio, & Pompeius Scipioni. Sed Cæsarem Apollonia directo itinere auertebat.) supple quò minus rectà ex castris Dyrrhachianis in Macedoniam contenderet: de qua re decimam Europæ picturam apud Ptolemæum consulito. Cur autem per istas ambages in Macedoniam Cæsar profectus sit, ipse paulò ante nonnullas causas reddidit. Per Candauiam.) id est, monteis Candauiæ regionis, de quibus antea Plinium allegauimus. Heracleam Sentica.) scilicet quæ ad Strimonem fluuium sita est. Nam altera ad Erigonis fluuent a in eâdem Macedonia est: de quibus legito Volaterranum lib. 8. Geographiæ in Macedoniæ descriptione.

Hæc.) supple inflata Pompeij scripta. Vt pluribus dimissis itineribus.) Vide num rectius dimissi legatur Statim nanq; sequitur, iter conficere possent supple dimissi.

Lariss am.) supple Thessaliæ urbem, unde Achilles oriundus fuit, & Lariss æus à Virgilio uocatur. Iamq; inter se palam de præmijs.) Plutarchus in Pompeio addit, Pompeianos quosdam adeò nihil de summa rerum potiẽda post prælium Dyrrhachianũ dubitasse: ut seruos alij, amicosq;

Roman

Romam destinarent ad domos iuxta forum conducendas ueluti confestim magistratus inituri. Voluntarios etiam multos Lesbum ad Corneliam nauigasse dicit, nuntiaturos bellũ finem habere. Iam de sacerdotio Cæsaris.) Sallustius in Catilinario refert Iulium Cæsarem, & Q. Catulum Pontificatus competitores fuisse, sed hunc ab illo superatum suffragijs. De Pontificum autem officio uide to Feneſtellam. Scipio affinitate Pompeij confideret &c.) Plutarchus in Pompeio narrat, Corneliam Metelli Scipionis filiam à Pompeio in uxorem esse ductam. Vnde colligitur Scipionem Pompeij socerum fuisse.

Et L. Domitius in concilio dixit, &c.) Etiam iste locus miſere corruptus eſt in Baſilienſi, Lugdunenſi, & Venetiano libro: ſic nanq; ſecundum Florentinam æditionem rectius legitur: placere ſibi, bello confecto, ternas tabellas dari ad iudicandum de ijs, qui ordinis eſſent ſenatorij, beloq; unà cum ipſis nõ interfuiſſent, &c. Quod autem duas iſtas particulas de, & non, in alijs codicibus deſideratas ex Beroaldi lectione addendas cenſeo, Plutarchi locus in Pompeio me cõmoneſacit: ubi ſcribitur, omnes patres conſcriptos ipſum ſequi iuſſos, dum Roma diſcederet, qui uero illic remanſiſſet eum pro hoſte habendum. Id quod cum præſenti lectione imprimis facit. Cæterum quid ſibi tres tabellæ uelint (quarum L. Domitius meminit) ex prioribus Budæi in Pandectas annotationibus liquet, ubi aſſerit hunc ueteribus Romanis morem in iuditijs fuiſſe: ut iudices ſententiam ſuam in tabellis ſcribentes in urnam mitterent, ita ut alter alterius, & omnes omnium ſententiam ignorarent. Idem in poſterioribus annotationibus, eundẽ

morem

morem adhuc planius explanat in hæc uerba. Olim etiam duæ tabellæ dabantur à prætore iudicibus, in quibus sententiam suam scriberent: aut enim reum planè absoluere, aut planè damnare oportebat. Deinde locum Suetonij in in Augusto adducit (qui sanè multum ad hunc Cæsaris intelligendum ualet) sic inquiens. Cum de falso testamento ageretur, omnesq; senatores lege Cornelia tenerentur, nõ tantum duas tabulas damnatoriam, & absolutoriam simul cognoscentibus dedit: sed tertiam quoq; qua ignoscereturijs, quos fraude ad signandum, aut errore inductos constitisset. Re frumentaria præparata.) suple à Cæsare. Non enim multò ante dixit, se idoneum segetis locum nactum in agris, quæ propè iam matura erat. Confirmatisq; militibus.) scilicet ex detrimento, quod ex duobus prælijs ad Dyrrhachium acceperant, ut mox sequitur. Tametsi nanq; plærorumq; animi non multò post acceptum in duobus prælijs Dyrrhachinis damnum ad pugnandum promptissimi essent: tamen Cæsar (ut in superioribus ipse declarat) militibus perturbatis non satis confidebat, spaciumq; interponendum ut se refocillarent, existimabat.

Superius tamen institutũ in equitibus, quod demonstrauimus.) scilicet ante treis pagellas, ubi ait: Cæsarẽ Pompeiano equitatui ipsius agmen carpenti, suos equites ita opposuisse, ut expeditos antesignanos 400 admisceret. Quod sanè institutũ Cæsar à Germanis ab ipso deuictis mutuatus esse uidetur. Supra enim sub calcẽ lib. 1. & à ca. li. 4. de bello Gal. hunc pugnãdi morẽ tanq; propriũ Germanis adscribit. Pompeius quia castra in colle habebat.) Appianus Alexandrinus lib. 2. bellorum Ciuilium refert Pom-

peium

peium non longe à Pharsalo Thessaliæ loco iuxta Cæsarem castra locasse ita, ut non ultra triginta stadia inter se uterq; abesset. Tabernaculisq; detensisq;.) id est, amotis, ut sit compositum à de, & tendo, & opponatur tendendi uerbo. Quanquàm Beroaldus incensis legit, & fortasis emendatius. Sicut semper depoposcimus.) nec hoc loco regula Grammaticorũ saluari potest, quando docent, compositorum uerborum præterita non geminari.

Suorum omniũ hortatu, prælio decertare statuerat.) Plutarchus in Pompeij uita recenset, eum non nisi suorum dicterijs, & improbis instigationibus motũ: ut omissa optima sua bellandi ratione, pugnam indipisceretur ac extremam belli aleam experiretur. Quum enim (inquit) uideret Cæsarem exercitatissimis militibus præditum, & summa annonæ penuria laborare, se uerò inexercitato exercitu laborum insueto, & summa rerũ copia abundare: multò satius esse decernebat, hostem cunctando uincere, quàm incertam Martis aleam in conserendis manibus experiri.

Simul denuntiauit.) suple equitibus. Reliquorum utpote peditum. Siquidem Pompeius (ut Cæsar modò retulit) suis pollicitus erat, strenua, & gnaua equitum opera futurum esse, ut reliqua exercitus pars sine puluere, ac uulnere uictoria potiretur. Multos autumni pestilentia in Italia consumpsit &c.) Hæc Labieni dicta uera esse Cæsar ipse supra ab exordio lib. huius in hæc uerba comprobat. Atq; eæ copiæ ipsæ hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant, longumq; iter ex Hispania magnum numerum diminuerat, & grauis autumnus in Apulia, circumq; Brunduſiũ ex saluberrimis Gal-

liæ,

liæ, & Hiſpaniæ regionibus omnem exercitum ualetudine tentauerat. Multi ſunt relicti in continente.) Hoc nimirum tum factum eſt, quũ Cæſar è Brunduſio in Græciam traiecit, & deinde quoſdam tardius ſubſecutos in itinere Italico transportãdos curauit. Illic nanq; multos ab eo defeciſſe, & in continenti remanſiſſe. hinc uero ſimile uidetur: quod (ut Plutarchus in Cæſaris uita author eſt) etiam ij, qui ſecundo ipſius commeatu transportati ſunt, Cæſarem diris inter nauigandum deuouerunt. Cæſar ſuperius inſtitutum ſeruans &c.) Cæſar ipſe ſupra lib. 1. de bello Gallico ſe legioni decimæ multum indulſiſſe: & propter ſingularem eius uirtutem, ac fidem ea maxime confiſum eſſe commonſtrat. Ipſe contra Pompeium conſtit.) ſuple in cornu ſiniſtro. Modò enim dixit, Pompeium apud ſuos in ſiniſtro cornu conſtitiſſe. Vexillo ſignum daturum &c.) De hoc ſigno ſupra lib. 2. de bello Gallico diximus. Porrò uexillum diminutiuum eſt à uelum teſte Priſciano Grammatico nobiliſsimo. Tuba ſignum dat.) id eſt, claſsicum cani iubet, hoc eſt, ad arma, & ad pugnandum uocat. Primum pilum duxerat.) id eſt, centurio primi pili fuerat, aquilamq; geſtauerat. De quo in ſuperioribus ex Vegetio locum allegauimus. Signa undiq; cõcinerent.) ſcilicet ſemiuocalia, quæ per tubam, cornu, aut buccinam dantur: De quibus antea Vegetium lib. 3. cap. 5. citauimus. Dato ſigno.) ſcilicet concurrendi per uexillum, ſicuti antea conſtituerat. Eodem tempore equites à ſiniſtro cornu &c.) Non ita multò ante Cæſar cauſam reddidit. Cur Pompeius equites, ſagittarios, ac funditores in ſiniſtro cornu ſtatuerit: nimirũ quod

riuus impeditis ripis dextrum cornu muniret. À latere aperto.) Hoc est, quod Pompeius suis ante puguã prædixerat. Quam instituerat.) scilicet in hoc, ut Pompeiano equitatui opponeret. Infestisq; signis.) Lau. Valla lib. elegantiarum 4. cap. 293. hanc esse differentiam inter uocem infensus, & infestus esse tradit: ut illa uehementer iratum, & odium gerentem, hæc uero uehementer molestum, atq; in aduersum hostem uadentem uirum significet. Indeq; infestare incursibus crebris molestia afficere. & signa infesta, quæ in aduersum tendunt, hoc est, uexilla in hostem tendentia ut molestiam inferant, dici. Sine præsidio.) suple equitum interfecti sunt. Quorum cædem Lucanus lib. 7. in hæc uerba depingit.

Vt primum sonipes transfixus pectora ferro,
In caput effusi calcauit membra regentis:
Omnis eques cessit campis, glomeratáq; pubes
In sua conuersis præceps ruit agmine frenis.
Perdidit inde modum cædes, ac nulla secuta est
Pugna: sed hinc iugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec ualet hæc acies tantum prosternere, quantum
Inde perire potest.

Cohortes.) suplendum Cæsareanæ ex quarta acie, quæ ex reliquis trebus collecta erat. Cui maximè cõfidebat, utpote qui ante pugnã initã iactasset, equitatus sui opera futurũ esse, ut Cæsaris exercitus pelleretur antea q̃ ullũ telũ à Cæsareanis in hostes mitti posset. Cũ uero dicit, atq; eam partem, etiam Cilicensem, atq; Hispanicam legionem innuere uidetur. Siquidem Pompeius (ut Cesar paulo superius meminit) has tanquàm firmissimas in dextro collocauerat

locauerat cornu. Ad prætoriam portam posuerat.) Vegetius lib.1.cap.23.huius portæ situm in hæc uerba describit.Porta,quæ appellatur Prætoria aut orientem spectare debet,aut illum locum, qui ad hosteis respicit: aut iter agitur,illam partem debet attendere,ad quam est perfecturus exercitus. In castris Pompeij uidere licuit triclinia strata,magnũ argenti pondus expositum &c.) Maximã luxuriam,fastũ,superbiam,insolentiã, & oscitantiã in Pompeianis castris uiguisse demonstrat. Talis omnino facies castrorũ Dornachensium fuit apud aduersarios nostros,dum à nato Christo numeraretur annus 1499:in cuius exitu ego natus sum. Quemadmodum enim Pompeiani magna securitate nõ nisi de honoribus, & uoluptatibus suis cogitabant, & de hostibus uincendis nulla cogitatio erat:sic & nostri aduersarij crepidati in tentorio ob ambulabãt,& se argenteis,& aureis crateribus,ac pateris proluebant,donec nostri complureis eorum in castris suis oppresserunt.Porrò(ut ad institutum redeamus)per argenti pondus, argenteorum uasorũ uim κατὰ μετωνυμίαν intelige,ut materia pro materiato sumatur. Id quod ex Plutarchi descriptione,quæ sic habet,facile liquet.Castris direptis, hostium ignorantiam, leuitatemq; admirari fuit. Omne enim contubernium myrto coronabatur,omne stratum floribus plenum,mensæ uasis graues,crateres uino undiq; spumantes:apparatus,ornatusq; litantiũ, ac festa ducentiũ magis is erat, quàm uirorũ ad certamen se præparantiũ. Hæc ille. Vnde aũt tantam luxuriæ materiã ecce perint Põpeiani, Luc.in paulò ante citato li.& multis,& elegantibus uersibus prosequitur.Quos qui, uolet, legat.

Detractis insignibus imperatorijs.) ut paludamento de quo idem Plutarchus in Cæsaris uita. Querens tantum se opinionem fefellisse, ut à quo genere hominum victoriam expectasset.) nempe ab equitibus, qui (ut supra scribit Cæsar) Pompeio confirmauerant, se Cæsaris exercitum dissipaturos antequàm acies utrunq; inter se cõcurrerent. At hi tandem pollicitis suis parũ stantes, fugæ initium fecerunt: cohortibus Cæsareanis ex quarta acie fortiter rem gerentibus. Montem opere circummunire.) sic enim pro circumuenire Beroaldina recognitio legendum monet. Quia uerò supra dixerat, eos, qui uallo Pompeiano constiterant ducibus centurionibus, & tribunis, in altissimos montes fugisse, qui ad castra Pompeiana pertingebant: ideò nunc ostendit, quo pacto eos Cæsar illinc deiecerit, & sibi victoriã è manibus labi non siuerit. Quod si Pompeius antea post duo prælia ad Dyrrhachium commissa fecisset, ipso Cæsare hoste pronuntiante, uictor illo die euasisset. Et pauca apud eos de lenitate sua &c.) Salustius in Catilinario bello, Catonis ingenium cum Cæsaris conferens, ait: hunc mansuetudine, & misericordia clarum esse factum. D. Lelius.) scilicet quem ab exordio istius libri unà cũ C. Triario Asiaticis nauibus à Pompeio præfectũ esse scribit. Cassius cũ classe Syrorũ.) suple quibus à Pompeio præfectus erat. Vibone.) scilicet Italiæ oppido, quod (Mela li. 2. testante) olim Hippo dicebatur. Ad Messanã.) suple Siciliæ urbem. Amphipoli.) suple in Maced. oppido, ut author est Pli. li. 4. ca. 10.

Ipse.) suple Pompeius ad ancoram una nocte constiterit.) id est in naui ad ancoram ligata. Et Mytilenas

paucis diebus uenit.) scilicet in Lesbi insulæ clarissimam urbē, ut testatur Mela li. 2. & Pli. li. 5. ca. 31. Porrò Lucan. lib. 8. hanc causam Pompeio fuisse dicit, ut Mitylenas adiret: quod ante Pharsalicum prælium, Corneliam uxorem suam illic deposuisset, ut à bellorum tumultibus tuta esset. Idemq; Lucanus testatur, Mitylenæos maximis precibus à Pompeio contendisse, ut uel unam noctem apud ipsos maneret: insuperq; omnes facultates, & uires suas ei obtulisse: ita ut uel soli Mitylenæi Pompeium uictum non deseruerint. Antiochensium.) aut populorum Antiochenæ in Syria regionis, uel oppidi eiusdem regionis authore Plinio lib. 5. cap. 21. Qui superiori anno consul fuerat.) de quo uide caput istius libri. Rhodi.) scilicet quæ Lytiæ insula est, scribente Mela li. 2. Deposito adeundæ Syriæ consilio &c.) Lucanus in ante citato libro asserit, Pompeium constituisse se orientalibus hominibus (ut Partis, & Medis) credere, & isthinc noua auxilia contra Cæsarem cōparare: sed Lentuli cōsulis sententia in concilio uictum, iter ad Ptolemæum Aegypti regem instituisse. Tantum ille. Cæterum per pecuniam societatis nimirum eam intelligit Cæsar, quam Syri ex societatis iure de publico pendebant. Nam statim sequitur etiam à priuatis quibusdam pecuniam esse sumptam à Pompeio. Pelusium peruenit.) scilicet oppidum, quod (teste Pomponio Mela) ipsas Arabiæ oras secat. Quos ex eius.) suple Pompeÿ exercitu acceptos Gabinius Alexandriam traduxerat &c.) Appianus lib. 5. de ciuilibus Ro. bellis ait, Pompeio Syriam Romanis uendicante, & Scaurum prætorem in ea statuente, à senatu post Scaurum, Gabinium

prætorem institutũ esse, illumq; Alexandrinis bellum intulisse. Quod bello prædonum apud eum ordinem duxerat.) Per prædones piratas intelligit, à quibus mare Pompeius prius repugnauerat, quàm Mithridatem Ponti regem debellauit. De quo lege Plutarchum, & Appianũ. Quod uero ait Septimium duxisse ordinem sub Pompeio duce: ex eodem Plutarcho discimus, tribunum militum illius fuisse. Ibi ab Achilla, & Septimio interficitur.) quibus modis Pompeius interfectus sit, Plutarchus, Appianus, & Lucanus copiosius describunt. Cæsar quum in Asiam uenisset &c.) nimirum Pompeij insequendi causa Cæsar in Asiam concesserat. Sic enim Appianus lib. 2. bellorum Ciuilium scribit. Tertia die Orientem uersus castra mouit Cæsar, fidem Pompeianæ prosecutus fugæ.

Ita duobus temporibus Ephesiæ pecuniæ &c.) Supra enim in hoc eodẽ libro Scipionẽ Ephesiæ Dianæ templum expilare conantem à se prohibitũ esse cõmonstrat. Item constabat Elide.) Prodigia, quæ sub Pharsalicæ pugnæ tempus ædita sunt enumerat. De quibus legito Lucanum lib. 7. Plutarchum, & Appianum, qui pluribus hanc rem describunt. Porrò Elis oppidum Elidis regionis Græciæ est, authore Mela lib. 2. & Strabone lib. 8. Ptolemaide.) Ptolemais, Pergamus, & Tralles Asiæ urbes sunt. Porrò Græca uox ἄδυτον secretum, & penetrale sacrum dicitur ἀπὸ τοῦ α priuandi particula, καὶ δύω, id est, non ingredior, seu subeo. Propter necessitudines regni &c.) Ptolemæi nanq; pater per Pompeium regno suo pristino restitutus erat. Reliquasq; eius loci opportunitates.) Quippe quod finitima regio, principatu ingenti prædita, felix præterea, nauibus, frumento, pecunijsq; potens esset.

Quod

Quod fasces anteferrentur.)ſuple Cæſari, utpote cõſuli. Cum P. enim Seruilio conſul creatus erat, ut ipſe à capite huius libri teſtatur. Porrò (ſi Feneſtellæ credimus) duodecim numero lictores conſulem antecedebant: qui cum faſcibus uirgarũ ſecurim præferebant. Ipſe enim neceſſario Eteſijs tenebatur &c.)Cæſar diſertis uerbis ait: Eteſias uentos ab Alexandria nauigantibus aduerſos eſſe. Etenim Cicero lib. 2. de natura deorum, uentos illos admodum ſalubres & nauigantibus cõmodos eſſe dicit: quippe quorum flatu nimij temperẽtur calores, & à quibus etiam maritimi curſus celeres ac certi dirigantur. Cui & Strabo lib. 17. aſſentitur dicens: Eteſias Alexandrinis ineunte æſtate à borealibus partibus, & pelago ita ſpirare, ut æſtatem optimè tranſigere queant. Hactenus illi de Eteſiarum effectu. Quo aũt anni tempore ijdẽ oriantur, ex Aulo Gellio & Plinio didicerimus. Ille nanq; lib. 2. cap. 22. ait eos certo anni tẽpore (Eamq; ob cauſam οἱ ἐτησίαι ἀπὸ τ ἔτους id eſt, anno nomen ſortitiſunt) quando uidelicet canis exoritur, ex alia, atq; alia cœli parte ſpirare. Hic uero li. 2. ca. 49. illi cõſentiẽs, aſſerit, biduo poſt canis exortũ aquilones cõtinuis quadraginta diebus perflare, quos Eteſias, inquit uocãt: mollireq; creditur eos Solis uapor geminatus ardore ſyderis. Et paulo inferius in eodẽ capite, Eteſiæ, inqt, noctu deſinunt flare, & à tertia diei hora oriuntur. In Hiſpania, & Aſia ab oriente eſt eorũ flatus. In Ponto ab Aquilone. Reliquis in partibus à Meridie. Tantum illi. Exquorũ poſteriore, & ; Africæ tabula apud Ptol. nũc facile conijci poteſt, cur nam Alexandria nauigenteis, Eseſias uentos diuerſos habeãt. Quũ enim Alexandria Aegypti

metropolis partim uersus occasum Solis, partim contra aquilonem sita sit: siue quis in Hispaniam, & Asiam (quo haud dubie Cæsar ipse nauigaturus fuerat, si secundos nactus esset uentos) siue in Pontum regionem, siue in parteis meridionaleis nauigio aliquis ueheretur: Etesijs Flantibus, cum ijsdem luctandum erat. Vt in ærario ponerẽtur.) Obseruabis apud uetustos Romanos in more fuisse, publica instrumenta, & diplomata in ærario unà cum thesauris conseruare: quum apud nos in archiuis, & cameris, hoc est testudinibus, alijs cõseruentur. Alteræ eodem exemplo &c.) Annotabis & hoc, quod Valla recte docuerit exemplum etiam pro exemplari (quam copiam uulgus scribarum nunc uocat) apud probatos authores usurpari.

Pro communi amico.) id est, pro ut communis amicus cum regis Ptolemæi, tum sororis eius erat. Nam quum pater eorum rex, & amicus à populo Romano uocaretur, & Cæsar eiusdem populi consulem ageret: consentaneũ est, illum utriusq; communem amicum fuisse. Subitò exercitus regius &c.) Belli Alexandrini semina describere incipit. Per quos.) alij melius per suos legunt.

Hæ constabant ex Gabinianis militibus &c.) Plutarchus in Antonij uita refert Ptolemæi precibus Gabinium adductum, ut exercitum, quem in Syria habebat, in Aegyptum traduceret. Cuius rei paulò superius quoq;, sed ex Apiano, & paulò aliter meminimus. Atq; licentiæ uenerant &c.) Strabo lib. 17. tradit Alexandriam duobus maribus allui, uno à septentrione, quod Aegyptium dicitur: altero à meridie, quod Mariæ lacus, & Maræotis appellatur. Hinc procul dubio factum est, ut ex omnium re-

rum

rum copia, luxus, ingluuies, ac totius uitæ licentia orta sit qua & Gabiniani milites ex diutino commertio iam infecti erant. Nec Gabinianis solummodo hoc accidit, quin etiam mercenarijs Nechaonis regis Aegyptiaci militibus id multò ante acciderat. Quo fit ut ijdē appositissima trās latione, uituli saginati à propheta uocentur. Ille.) suple Achillas. Hi.) uidelicet Cæsareani. Sed rem obtinuit Cæsar, omneisq; eas naueis, & reliquas, quæ erant in naualibus incēdit &c.) Paulus Orosius lib. 6. ca. 15. refert nauium istarum incendio urbis partem flaminis correptā, quadragintaq; librorū millia proximis forte ædibus condita exusta esse. Pharus est in insula turris &c.) Strabo hanc turrim in præcitato loco ad hunc describit modum: Ipsumq; insulæ promontorium est petra quædam mari circumdata, quæ turrim habet multis tabulatis excelsam, & albo lapide mirifice extructam, eodem nomine, quo insula. Eam Sostratus Gnidius regum amicus posuit ob nauigantium salutem &c. De quo uide Lucianum in ratione com. historiæ: & Herodianum ab initio lib. 4. Hic nanq; ædificij forma in similitudine graphica Phari cuiuslibet (appellatiuū enim non proprium nomen) describit.

In mare iactis molibus &c.) Idem Strabo paulo post precedentia, has moles ita describit: Agger autem est pons quidam à cōtinente in insulam, ad occidentalem eius partem porrectus, duos tantum aditus relinquens in Eunosti portū, atq; ipsos ponte iunctos: quod opus non modò pons erat in insulam, sed etiam aquæ ductus quū habitaretur.

IN AVLI HIRTII AVT OPII LIBRVM IIII DE BELLO Alexandrino Argumentum Ioannis Rhellicani.

Primum Cæsaris auxilia describuntur. Dein Alexandrinorum ædificiorum structura, & totius Alexandriæ situs. Tertiò, prælium nauale, ex quo Alexandrini tandem inferiores discesserũt. Quartò, pugna cum Pharitis facta, ac eorundem fuga. Quintò, Alexandrina legatio, eiusdẽ, ac regis Ptolemæi fallax oratio. Sextò, regis interitus, Alexandriæ, adeoq; totius Aegypti deditio. Septimò, Res Asiaticæ describuntur, quo pacto Pharnaces rex Domitium Cæsaris legatum prælio superauerit. Octauò, res Illyricæ. Nonò, res Hispanæ, ubi mira Cassij Longini insolentia, & auaritia depingitur. Decimò, quum Cæsar Asiæ prouintias ab externo hoste tutas reddidisset, quo modo easdem ab intestinis dissensionibus liberauerit. Postremò, res Ponticæ, ubi & Cæsaris victoria de Pharnace describitur.

EIVSDEM IO. RHELLI

CANI IN EVNDEM LI= BRVM DE BELLO ALEXAN drino Annotationes.

B REGE Nabatæorum Mal= cho.) Plinius lib.6.ca.8. & Stra= bo lib.16.asserunt Nabatæos popu los Arabibus uicinos esse. Ac sine materia.) id est, ligno, unde prius in Cæsare materiari pro li= gnari habuimus. Tectaq; sunt rudere.) suplendū nouo. Teste nanq; Vitruuio li.7.de Ar= chitectura cap.1. & Francisco Mario Grapaldo, materia pauimenti saxa scilicet contusa, siue testæ fractæ, & glarea cum calce rudus nouū uocatur. Nam & dirupti pauimen= ti postea rudus uetus nuncupatur: Plinius, Complanatæ erant uetere rudere uiæ. De nouo Vitruuius architectus: Tunc super stratum duces rudus, hoc est saxa contusa du= abus partibus, & una calcis temperatæ constitues. Vnde rudetū plenum rudere locum dicimus, & erudare rudera asportare. Quarū alterius rei copiā exiguā.) Ex sequen tibus intelligi potest, Cæsarē per alterius rei tenuē copiam aquā innuere. Paulò enim inferius inquit, nullum omnino Alexandriæ fontē fuisse: & partē fluminis Nili in ea urbis parte extitisse, quā aduersarij obtinebant. Quodq; utrūq; palus large præbere poterat.) Hanc paludem modò ipse Hirtius à meridie angustissimā oppidi partē efficere dixit

& nos

& nos ad finem superioris lib. locum ex Strabone allegauimus, ubi hanc paludem Mariæ lacum, uel Maræotim appellare uidetur. Vrbs fertilissima &c.) Locus iste exigere uidetur, ut oppidi istius primordia, situm, & fertilitatem ex bonis indicemus authoribus. Q. ergo Curtius lib. 4. de gestis Alexandri Magni refert, ab illo muris ambitū destinatum quicquid loci est inter paludem, & mare, circiter octoginta stadia. Plinius uerò lib. 5. ca. 10. illud ad hūc modū describit: Sed iure laudetur in litore Aegyptij maris Alexandria à Magno Alexandro condita in Africæ parte, ab ostio Canopico M. P. iuxta Maræotim lacū. Metatus est eam Dinocrates architectus pluribus modis memorabili ingenio, quindecim millium passuum laxitate inserta ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato, laciniosam dextra, leuaq́, angulosо procursu, iam tum tamē quinta situs parte regi dicata. Hæc illi de urbis conditore, & situ. Strabo autem lib. 17. eius positum & ubertatem ita describit: Quum Alexander eò uenisset, loci opportunitate perspecta, statuit urbem ad portam collocare. Opulentiæ, quæ postmodum secuta est, signum referunt, quod in fabricæ designatione contigit. Nam quum architecti ambitus lineam gypso designarent, & aduentante rege terra defecisset qui farinam operarijs dispensabant, partem illis præbuere, qua uias in plures diuiserūt: atq́ id (ut mihi uidetur) in bonum omen acceptū est. Opportunitas quidem multiplex est. Nam duo maria locum undiq́ alluunt, alterum à Septentrione, quod Aegyptiū dicitur: alterū à meridie, quod Mariæ lacus, & Mareotis appellatur. Hunc Nilus multis fossis tum è superioribus partibus, tum è lateribus

æribus adauget: per quæ multò plura importantur, quàm è mari. Quare portus qui in lacu est, ditior est maritimo. Quæ hac exportantur ex Alexandria plura sunt, quàm quæ importantur. Quod qui Alexandriæ fuit, & diœcæarchiam exercuit, probè tenet: cum onerarias naues uiderit, & uenientes, & recedentes quantò grauiores, ac leuiores ultrò, citróq; nauigent: ac diuitias, quæ ex utraq; parte & in maris, & in lacus portum aduehuntur. Propter anni tempus.) *suple hybernum. uero nanq; simile est, plærampq; æstatis partem iam transactam fuisse: quippe quum tã diu Pompeius, & Cæsar inter se in Macedonia, & Thessalia pugnassent. Transmarina auxilia.)* *ut ex Rhodo, Syria, Ciliciáq;, item Creta: unde nimirum audierant Cæsarem auxilia postulare. Vt supra demonstratum est.)* *scilicet in calce lib. 3. de bellis ciuilibus. Natura.)* *scilicet callida. Supra enim Hirtius ait, Alexandrinos homines esse ingeniosissimos, & acutissimos. À Partonio.)* *scilicet portu, de quo Mela lib. 1. in Cyrenaicæ regionis descriptione. Ab insula.)* *suplendum Pharo, de qua in fine superioris libri. Atque hactenus Cæsar suos consolatus est: nunc uero quando subiungit, fugæ uero &c. aliquot rationibus dissuadet, fugam nõ esse adornandam. Et primum quidem per argumentum à maiori ad minus: quod si inquit hostium impetus aduersos uix ex munitionibus sustinemus, quo pacto fugientes eorum insultum sustineremus? Deinde à Romanorũ difficultate, & Alexandrinorum facilitate argumenta sumit. Proinde eius consilij obliuiscerentur &c.)* *Epilogus dissuasionis. Vt reliquis operibus intermissis.)* *suple munitionibus eius partis Ale-*

tis Alexandriæ, quam Cæsar tenebat. Cumq; ad eum locũ accessisset, qui appellatur Cherrhonesus.) Quatuor insignes Cherrhonesi à Geographis memorantur Tauri-ca, Cymbrica, Aurea, & Græca illa inter mare Adriati-cum, & Creticum sita. At de nulla istarum Hirtius hic mentionem facit. Solus Ptolemæus (quantum ego scio) li. 4. cap. 5. tabula Africæ; magnam Cherrhonesum supra Alexandriam, uersus occasum ponit: de qua nimirum Hir tius hic loquitur. Meritò casurum indicabat.) Quod scilicet longius à reliquis nauibus discesserat.

ἐπιβάτης epibabates.) Græcis non tantum is dicitur, qui in naui uehitur, & remigat, sed etiam pugnat. Vnde & uerbum ἐπιβαίνω, id est, aggredior. Quo fit, ut quum Hirtius ait, naues omnibus epibatis nudatas, simul cum remigibus etiam propugnatores innuat. Sed scien-tia classiariorum.) suple Rhodiensium, quos modo Hir-tius tanta nauigandi scientia, ac uirtute in pugnando fu-isse commemorat, ut in nauali illo prælio totum onus susti nere non recusarent. Quibus, & superioribus locis.) id est, à quibus scilicet classiarijs Cæsareanis subleueban-tur, scilicet Alexandrini locis superioribus, id est, eminẽtio ribus. Vt uix ædifijs defendi possent.) Pro uix, scriben dum est ex. Omnibus ostijs Nili.) Quorũ (testante Plii nio lib. 5. ca. 10.) septem sunt. Et in portu periclitati remigio.) id est, remigando periculum facientes. In fronte collogant 22.) id est, in dextro, ac siniſtro cornu, quo rum utrunq; frons μεταφορικῶς appellatur ab Aeliano de struendis aciebus, ubi sic inquit. Phalanx seorsum in pri-mas, summasq; partes duos à fronte per totam sui altitudi

nem

em secatur: quarũ altera cornu dextrum, & caput uocatur, altera cornu læuũ, & pes dicitur, & cætera. Cum malleolis.) Qualia instrumẽta muralia malleoli sint cum ex Vegetio, tum ex Ammiano Marcellino doceri possumus: quorũ ille li. 4. ca. 18 sic ait: Malleoli uelut sagittæ, & ubi adhæserint (quia ardentes sunt) uniuersa conflagrant. Hic uero li. 23. in hæc uerba. Malleoli teli genus figuratur hac specie, sagitta est cannea inter spiculũ, & arundinem multifido ferro coagmẽtata: quæ in muliebris coli formã, quo uertuntur lintea stamina, cõcauatur uenter subtiliter, & plurifariã patens, atq; in alueo ipso ignẽ cum aliquo susscipit alimento. Et emissa lentius arcu inualido ignitur, ictu enim rapido reextinguitur, si hæserit usquàm, tenaciter cremat, & in quæ q; conspersa acrior: excitat æstus incendiorũ, nec remedio ullo quàm superiacto puluere consopitur. Partem esse Alexandriæ dimidiam Africæ.) Pomponius Mela li. 1. ait eam in maris Aegyptiaci littore sitam, & Africæ conterminã esse. Vnde colligitur Alexãdriam dimidia ex parte ad Asiaticam oram, & altera medietate ad Africam pertinere. Siquidem Asiæ prima pars Aegyptus est, ut idem Mela tradit. Qua de re; Africæ tabulam consulito. Detergerentur.) id est, amouerentur aut reprimentur ut supra lib. 1. de bello Ciuili. Discessum ab arte est.) scilicet regendarum nauiũ. Neq; mari effugiũ dabatur uictis.) uidelicet quod plures essent hostes, q̃ amici. Omniaq; uictoribus.) suple Cesareanis erant futura in incerto, scilicet propter Alexandrinorum perfidiam. Etenim Hirtius ipse supra ab initio istius lib. testatur, eos esse genus hominum ad proditionem natum.

Perpauces

Perpaucos.)scilicet Cæsareanos,decertare de summa suple rei,ac salute omnium. Hoc inde fortassis eueniebat, quod uiderent cum gloriam, tum uictoriæ commodum nõ ad singulos,sed ad unũ Cæsarem peruenire. Adhæc quod non pro patria, sed aliena,& externa terra,& regno adpiscendo decertarent. Quum è contra Alexandrinorum quisq; pro focis,& aris,liberis, & uxoribus suis pugnaret.

Quibus pro se facultas pugnandi non fuisset.)nimirũ quod remigando armis decertare non possent. Maritimis,nauticisq;.)suple Alexandrinis. Hac enim in re admodum solertes fuisse & loci situs,& Hirtius supra ostendit. Vt insulam,molemq;.)de quibus superius partim ad finem lib.3.de bello Ciuili:partim in hoc libro quædam annotauimus. Et illam.)supleto insulam. Alteram insulæ.)scilicet Phari partem,quæ adhuc ab hostibus tenebatur. Etenim quando sub calcem superioris libri Cæsar scribit, Pharũ à se occupatam:uero simile est alteram insulæ partem,eiusdem Cæsaris præsidio munitam fuisse,alteram uerò ab hostibus obtentam. Id quod & insequentia declarant uerba,ubi Pharitas oppugnatos fugam dedisse, atq; à portu pulsos esse meminit. Et scienter angustias loci tuebantur.)Has nimirum angustias innuit,quas Cæsar in ipso calce superioris libri ita describit, ut angustum iter uocet,quod à superioribus regionibus insulæ Phari,in longitudinem passuum nongentorum moles in salum iactæ efficiant. Ad pontem,qui propior erat Pharo.) Cæsar quoq; in modò allegato loco ait, Pharum insulam ponte cum oppido nimirum Alexandria coniungi. Itaq; Hirtius hic refert Cæsarem in ea pontis parte prædiũ posuisse,

fuisse, quæ Pharo propior erat. Iamq; eos, qui præsidio eũ locum tenebant, eum locum suple pontem, hoc est, partem pontis, quæ Alexandiæ magis erat affinis. Et cohortium trium instar.) id est, circiter tres, quæ locutio Latinis (quantum ego iudicare possum) infrequens est.

Quorum altero opere effecto.) uidelicet pontis fornice lapidibus oppleto. *Altero.)* scilicet ut pons aduersum hostes præuallaretur. *Ad incendia onerariarum.)* suple Romanarũ. Paulò enim superius meminit Hirtius magnum numerum minorum nauigiorum, & scapharum cum malleolis, ignibusq; ab Alexandrinis contra Romanos instructum esse. *Simul qui in nauibus longis remanserant.)* suple Alexandrini. Modò enim ait, quosdam ex eis nauibus egressos: & paulò superius scaphis, nauibusq; longis quinq; loci angustias scienter ab eisdem defensas esse commemorat. *Milites nostri cohortium trium qui in ponte &c.)* Paulò superius inquit Hirtius circiter treis cohortes à Cæsare in terram expositas fuisse. Vnde Hirtiũ hic de ijsdem loqui puto. *Munitionem in pontem institutam reliquerunt.)* Non ita multò antè Hirtius cõmemorat, castellum ad pontem, qui Pharo propior erat, à Cæsare munitum, atq; inib præsidium esse positum.

In operibus hostium.) Specubus uidelicet, à Ganymede Arsinoës nutritio interseptis, atq; omnibus urbis partibus excluſis, quæ ab ipso tenebantur: ut aquæ magnam uim ex mari rotis, ac machinationibus exprimere posset.

Manum compræhendi multum operibus, & ardentibus studijs militũ.) Locus iste in omnibus exemplaribus (quæ mihi uidere cõtigit) corruptissimus est. Sic enim (ut modo

uerba apposui) Vuolffianum, Aldinum & Gryphianum adiecta stellula legit. Solus Beroaldi codex absq; ullo asteriſco ita, sed aquæ hianter: & erumpentibus Alexandrinis manibus compræhendendi multum operibus, & ardentibus studijs militum &c. Quæ sanè uerba Delio natatore opus haberent, non Rhellicano in huiusmodi uoraginibus, ac uorticibus natandi imperitissimo. Puellæ fidutiario regno.) Puellæ suplendum Arsinoës, fidutiario regno, quod scilicet certis haud dubie conditionibus à Ganymede aliquandiu puellæ creditum erat, ut reposcenti restitueret. Qua de re supra quoq; nonnihil annotauimus lib. 5. de bello Gallico. Quod si quo facto sentirent ea, quæ postulabant.) id est, si uerba cum animo consentirent, hoc fructus Cæsar inde se reportaturum sperabat, ut rex dimissus, in fide ipsius permaneret. Sin uerò sui similes esse pergerent Alexandrini, dolum quoq; eorum sibi magno emolumento futurum confidebat: quippe quod non amplius contra hominum colluuiem, ac fecem bellum gesturus esset, sed aduersus regium exercitum. Atq; ita Hirtius Cæsarem dilemmate, hoc est, bicipiti argumento in consultatione usum esse commonstrat: ut utrocunq; res caderet, rectè sibi consuluisse uideretur. Vt ex carceribus in liberum cursum emissus.) μεταφορά sumpta est à carceribus, id est, septis, unde equi ad currendum emittebantur apud Romanos ueteres. Eludentibusq; militibus.) scilicet Romanis. Ad Canopum.) scilicet insulam Aegypti, de qua Pomponius Mela lib. 2, ac Plinius li. 5. cap. 31. De Pelusio in superiori li. diximus. Delta, de qua Mela in eodem lib. & Ptolemæus in 3 Africæ tabula.

Cui loco cum appropinquare Mithridatē rex sensisset.) Quandoquidē Iosephus hanc historiam fusius describens, ostendit, cuiusnam beneficio Mithridates Alexandrinos superauerit: eius uerba huc transcribere non incōmodum est uisum. Sic ergo lib. antiquitatum 14. ca. 16. totum istud negotium de Mithridatis ingressu in Aegyptum describit. Post mortem Pompeij, dum Cæsar contra Aegyptum pugnaret, Antipater Iudæorum potentissimus, mandatis Hyrcani obediens, dum per Corycū transiret, & minimè potuisset per Pelusiū uiā conficere, sed in Ascalone moraretur: Antipater ei tria millia armatos Iudæos adduxit, necnon & Arabum nobilissimos auxiliatores ei parauit: & propter eum omnes Syri propēsius Cæsaris parteis adiuuabant. Verum etiam Blicus potentissimus, & Ptolemæus filius eius Libanum montem habitantes, cum omnibus ciuitatibus eandem pro Cæsare mentem habebant. Mithridates autem surgens è Syria, quum ad Pelusium peruenisset, & eum non suscepissent, ciuitatem obsidebat: cuius maxima uirtute Antipater primus partem muri deiecit, & reliquis uiam ingredi ciuitatem parauit & Pelusium quidem ita deuastatur. Antipatrū autem, & Mithridatē eunte ad Cæsarem, quum Aegyptij Iudæi transire prouintiā uetarent, quæ Oniæ dicitur, Antipater eos flexit ad Cæsaris amicitiā, principis sacerdotū literas ei ostēdens. Quod quū audissent Memphitidem habitātes, simūl modo Mithridatē ad se inuitauerūt. Ad quos quū pfectus fuisset, & ad locū, qui dicitur Delta peruenisset, cōstigit ei cū hostibus, circa locum, qui dicitur Iudæorū expeditio. Habebat aūt dextrū cornu Mithridates, læuū aūt Antipater

Sed commisso prælio, inclinatur cornu, quo Mithridates pugnabat: qui periclitatus esset, nisi per ripam fluuij cum suis militibus Antipater currens, deuictis iam aduersarijs mortis eum periculo liberasset. Nam uictores Aegyptios ad fugam conuertens, & persecutus, castra eorum deuastauit: Mithridatemq; fugientem retinuit. Sed circumuectus eo mari, quod Africæ partis &c.) Supra enim ex aliorum sententia Hirtius ait, partem esse Alexandriæ dimidiam Africæ. Eminus ex ripis prælium inparem inirent.) Cæsareanis erat impar eò quod ex locis inferioribus pugnandum illis erat aduersus regios milites, qui in æditiori loco constituti erant. Modo nanq; dixit Hirtius inter castra, ac Cæsaris iter, angustum flumen intercessisse, quod altissimis ripis impeditum esset. Brachijsq; cum opere castrorum coniunxerat &c.) Brachia hic μεταφορικῶς pro curuis munitionibus in brachiorum humanorum similitudinem formatis accipi uidentur, ut in illo Virgiliano libro 3. Aen. gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli. Quod Donatus ita exponit, cautes sunt in formam brachiorum. Liberum accessum haberi.) scilicet à planitie, quæ ex omni parte regiæ munitioni subiecta erat. Proximo terrestri itinere.) suple quo ex Pelusio pedestri itinere contenditur. In suam partem oppidi.) scilicet quam ante bellum confectum tenuerat.

Vt quos Ptolemæus testamento scripserat.) nempe ut ex duobus filijs maior, & ex duabus filiabus ea, quæ ætate antecedebat, hæres fieret. Nam maiori ex duobus pueris &c.) Eadem Tranquillus in Cæsare in hæc scribit uerba addens consilij Cæsareani rationem. Regnum, inquit, Aegypti

Aegypti uictor Cleopatræ, fratríq; eius minori permiſit, ueritus prouintiam facere: ne quandóq; uiolentiorem nacta præſidem, nouarum rerum materia eſſet. Dum hæc in Aegypto geruntur &c.) *Occaſionem, & cauſam belli cum Pharnace geſti deſcribit. Porrò Pharnaces Mithridatis illius magni filius, & rex Ponti regionis Aſiaticæ erat: autoribus Suetonio, & Appiano. Fuit autem (teſte Paulo Oroſio li. 6. ca. 5.) mire in patrẽ impius. Quum enim Mithridates ira percitus duos filios interfeciſſet, Pharnaces exercitum in eum mouit, & adeò in patrẽ obſeſſum inexorabilem ſe præbuit, ut pater ex altiſsimis mœnijs proſpectans, exclamauerit: Quoniam Pharnaces, inquit, me mori iubet, uos ſi eſtis Diij patrij, precor ut quandóq; & ipſe hanc uocem à liberis ſuis audiat. Comana conuenerunt.*) *ſcilicet Cappodociæ oppidum, quod (teſte Plinio lib. 7. ca. 3.) Sarus amnis præterfluit. Id enim eſſe integrum.*) *id eſt, oportuiſſe Pharnacem ex minore Armenia omnino decedere, ſi rem integram ad Cæſaris aduentum differre uoluiſſet. Caſtráq; oppido contulit.*) *id eſt, è regione oppidi fixit. Mœnibus oppidi ſuple Nicopolis. At Pontica ex altera parte legio ſcilicet quæ in ſiniſtro cornu erat poſita. In Aſiam recepit.*) *ſcilicet proprie dictam, quæ in duas ab Agrippa (teſte Pli. lib. 5. ca. 27.) diuiſa eſt partes. Nam alioquin & Cappadotia (per quam Domitius iter fecit) Aſiæ generaliter dictæ regio eſt. Porrò Aſia proprie ſic uocata terminatur à Septentrione Bithynia: Ab occaſu reliqua Propõtidis parte, Helleſponto, Aegeo, Cario, Myrtooq; pelago. Qua de re libro 5. Ptolemæi, ca. 2. tabula Aſiæ prima Paulum Oroſ-*

ſium lib.1:& D.Ioachimum Vadianum,Heluetiæ noſtræ ciuitatis in bonis artibus,& literis humanioribus,Theologia deniq; omniũ ſcientiarum regina Phernicem, ἐμ τοῖς τομῇ trium orbis partium,ubi hoc negotium erudite,copioſe,& luculenter tractatur,conſule.

Hiadertinorum.)ſuple Illyridis regionis populorum ab Iadera,nimirum colonia in continente ſita ſic nominata,authore Plinio lib.3.cap.21.

Cum diuerſiſſima parte orbis terrarum &c.)Ex Theſſalia enim Europæ parte in Aſiam,ac inde Alexandriam uſq; Cæſar Pompeium fugientem perſecutus eſt: ut ſupra ſub finem libro 3.bellorum ciuilium patet.

Propter Macedoniæ propinquitatem &c.)Plinius lib. 4.naturalis hiſtoriæ,cap.23.à Lyſſo (quod Liburniæ oppidum eſt) Macedoniam incipere refert. Quũ ergo Pompeiani ſe ex fuga in Macedonia collegiſſent, facilem, & compendiarium aditum in Illyridem habebant. Quod ut rectius intelligas,uide Ptolemæum lib.3.cap.13.tabula Europæ decima. *Vt Salonam ſe recipiens.*) De eadem urbe,& colonia ſermo haberi uidetur, quam ſupra Cæſar ab exordio 3 lib.bellorum ciuilium Salonas uocat, & nos iſthic ex Melæ ſententia eam in Iſtria (quam Plinius Liburniã uocat)locauimus.Porrò quoniam Hirtius paulò ante meminit magnum incommodum à Cæſareanis in Illyrico acceptum, & hic in itinere Salonam uerſus id factum commemorat:uero non diſsimile eſt, Pyreos,Liburnos,ac Iſtros inter Illyrios recenſendos eſſe.

In agmine.)id eſt,ita ut aciem inſtruere nequiret.

Literas

Literas ad Achaiam.) *Beroaldinus codex in Achaiã, ad Calenum legit, idq; meo iudicio & rectius, & latinius Nemo nanq; latine uel mediocriter doctus dicit, ſcribo literas ad Germaniam, uel Italiam.*

Epidaurum ſuple Romanorum coloniam in Liburnia ſitam.) *De qua Plinius lib.3.cap.22.*

In anguſto mari prælium factum eſt.) *ſcilicet Illyrico, de quo 5 Europæ picturam conſpicito.*

Adnatat ad ſuum myoparonem.) *Budæus in prioribus ſuis in Pandectas annotationibus piraticum, Brigantinum, ſeu Galionem hoc nauigij genus nunc uocari teſtatur. Capit ex eo prælio pentiremem unam &c.*) *Duæ iſtæ uoces pentiremis, triremis* κατὰ βαρβαρόλεξιν *compoſitæ uidentur* ἀπὸ πέντε τρισί, *& remus: quarum priores Græcæ, poſterior autem Latina eſt. Nam Græcè* πεντήρης, καὶ τριήρης *uocantur. Ideò autem ſic dictæ ſunt, quod illa quinq; remorum ordinibus, hæc uero tribus impelleretur: id quod Virgilius li.5. Aen. hiſce uerſibus plauſiſſimum facit.*

Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimæram
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana uerſu
Impellunt, terno conſurgunt ordine remi. Hæc ille.

Fuit autem τοῦτο τὸ πλοῖον πολεμικόν, *ſi Heſychio Grammatico credimus. Porrò quale nauigij genus ſit Dieros, ingenuè fateor me ignorare. Nihil enim tale apud grammaticos, ac neque apud Pollucem (qui tamen nauiũ plerarumq; ſpecies recẽſet) inueni. Niſi forte Dieros id nauigij genus ſit, quod Græci alio nomine* δίκροτον *hoc eſt, biremem*

uocant: quod uidelicet duplici remorum ordine agatur.

Contendit in insulam Issam.) Suple maris Adriatici, de qua Pomponius Mela lib. 2. Regionum earum.) scilicet quæ in insula erant, ita ut fortasis oppidũ eodem nomine cum insula uocaretur. Et ut largitionis postulat cõsuetudo &c.) Causam liberalitatis uocat, quod Cassius liberalis uideri uolebat, quum re uera prodigus, & inũstus largitor esset: quippe qui alijs iniuste auferret, quod alijs ad licentiam, & luxuriam fouẽdam largiretur. Quæres quàm pestilens semper in omnibus rebus publicis fuerit, nõ tantũ Longini istius, sed etiam Cæsaris largitas testimonio est. De qua lege plura apud Ci. in officijs. Quin aut uadimonio teneretur, aut in reos referretur.) Vadimonium (autor Budæo in prioribus suis in Pandectas annotationibus) sponsio est, sistẽdi se in iudicio. Quid autem sit tenere uadimonio, paulò post idem Budæus ostendere uidetur, quum ait: Vadimonio obstricti hodie dici possunt, qui ob crimina in iudiciũ uocati, à iudicibus (ut fit) impetrauerunt: ut aut sua, aut sponsorum fide dimittantur ea lege, ut in diem certum, aut quandocunq; iudici uisum fuerit, ad iuditiũ sistantur, quos elargitos uocant, id est, ἐξηγγυημένους. Hæc ille. Porrò non in, sed inter reos legendum est, ut Beroaldinus codex habet. Aut erat interpellatum.) id est, prolongatum, productum. Præterquàm enim quod interpellare, sermonẽ alicuius abrumpere, etiam ducere significat teste Nonio Marcello. Cum in Basilicam iret.) Basilicam (inquit Cœlius lib. antiquarum lectionum 15. cap. 11.) principio fuisse locum constat, quo sub tectum adius dicendum principes conuenirent. Cui loco di

gnitatis

gnitatis gratia additum erat tribunal. Post id quo esset ea quidem laxior, primarijs tectis non sufficientibus, circumaddidêre porticus patulas intrinsecus, hinc atq; hinc primum simplices, mox etiam duplices. Addidêre insuper alij secundum tribunal, transuersaḿq; alteram ambulationem, quam causidicam nuncupamus: quod illic rhetorũ turmæ, causidicíq; uersarentur. Erat porrò persimilis templo Basilica, proinde compari fermè modo exornabatur. Hactenus ille. Ad quæ sequentia Hirtij uerba plurimum faciũt, quando ait: Silo libellum, quasi aliquid ab eo postularet ut miles, ei tradit. Porrò Budæus in paulò antè citatis annotationibus refert, libellum à Suetonio schedulam supplicem uocari: qua populares postulata sua principibus exponere solebant. Erant enim omnes Italicenses.) Hoc est, ex Italica Hispaniæ oppido (de quo ni fallor & supra diximus) oriundi. Semper enim Berones, complureśq; euocatos.) Sic Aldus, Gryphius, & Vuolffius legunt, Beroaldus autem Varrones, quorum lectio utraq; constare potest. Quum enim Ptolem. lib. 2. cosmographiæ cap. 6. tabula Europæ 2 Berones Hispaniæ Tarraconensis populos esse dicat, quorum hæ sint ciuitates: Tritium, Metallum, Olibar, & Varra: prior haud dubiè Berones in genere, posterior autem Varrones speciatim Cassij satellites, corporis custodes, adeó́q; ei prætoriæ cohortis loco fuisse indicat. Aut diuturnitate iam factus prouintialis.) textus hic male distinctus est, & mutilus. Proinde eum sic distinguẽdum, & hiatum suplendum autumo (quo in numero erat secunda legio) qui non cum omni prouintia consenserat in odio Cassij. De gradu

deiecta est.)id est, animum despondit, consternata, ac uelut à statu mentis dimota est. Prouerbialem enim (ut inquit Erasmus) allegoriam sapit hæc locutio. Accersit omneis, qui sibi pecunias expensas tulerant.) Idem Budæus in ijsdem enarrationibus quas paulò ante citaui ait: expensas pecunias ferre idem esse, quod acceptum ferre. Duas enim rationum partes esse, priorem accepti, & posteriorem expensi. Ni malis expensas accipi pro appensas suple ad libellam. Ad sacramenti redemptionem uocabat.)id est, prouocabat eos, qui sacramento militari conscripti erant ad militiam, ut se pecunia redimerent. Nam alioquin ante uigesimum quintum annũ absq; periurio, ac noxa, militiã deserere nullus poterat. Hispalim.)supple Romanorũ coloniam, de qua superius lib. bellorum Ciuiliũ Quã Q. Cassius legatus.)supleto Q. Cassij Longini prætoris, simul ducebat.)nimirũ cum L. Titio, quẽ modò tribunum militũ legionis uernaculæ fuisse cõmonstrauit.

Cum ad oppidũ Leptim castra haberet.) Beroaldina lectio nõ Leptim, sed Leptum habet. Vnde non friuolis rationibus à rei circumstantia ductis colligi posse autumo. Hirtium hic non de Lepti minoris Africæ: sed potius de ulterioris Hispaniæ (cuius tamen nomẽclatura apud Geographos quantum ego scio, nõ extat) oppido uerba facere. Quamuis enim Hirtius modo dixerit, exercitum à Longino lustratũ, legionesq;, & auxilia, quæ in Africam ab eodem ducenda erant, ad traiectum esse missa: nusquam tamẽ meminit illa in Aphricam transportata. Imò uero inferius ait: Longinum in Ibero flumine aquis suffocatum. Ad hæc quum sequatur in Hirtio, Longinum noctu cum

quinq;

quinq; cohortibus egressum (nimirum Corduba ut ex præcedentibus colligitur) mane Leptum peruenisse: qui constat tantum iter ab eo una nocte confectum, si non Hispanica, sed Africana Leptis intelligenda est. Carbonam contendit.) Et hic mendã esse puto, etiamsi omnia quæ uiderim exemplaria ita habeãt. Nam pro Carbonã, Carmonam legendum existimo, quæ Beticæ Hispaniæ urbs est: in qua prouintia & Obucula, & Corduba (de quibus mox in textu à Ptolemæo in secunda Europæ tabula ponuntur.

A uernaculis oppressum ad Obuculam.) Hirtius superius scribit uernaculam legionem tanto Cassij odio laborasse, adeoq; infenso in eum animo fuisse: ut quum reliquæ legiones, quæ in eum conspirauerant, patefacta conspiratione, ei supplicarent: sola in sententia permanserit, neque ullo timore de gradu deiecta sit. Ideoq; uero non dissimile est eos in tanto erga illum odio perseueravisse, quemadmodum Hirtius hoc loco narrat.

Prouintia.) suple Hispaniæ ulterior, in qua Corduben sis conuentus) qui iam à Cassio defecerat) celeberrimus erat, ut supra ex Plinio locum adduximus. Nam ex sequentibus apparet, citeriorem Hispaniam in Cæsaris fide permansisse: ubi ait, Lepidum eius prouintiæ prætorem ad lites dirimendas inter Marcellum, & Cassium, Cordubam uenisse. Quas M. Varro scilicet Pompeij legatus obtinuerat.

Certe hoc præse Torius ferebat.) id est, ita se gerebat, ut facile agnosci posset, eum magno Cæsaris odio, & Pompeij amore flagrare. Id quod & rei exitus declarauit. Si nanq; Cæsaris parteis sequi uoluisset, milites eum

potius

potius retinuissent quàm Marcellum prætorem nouum e= legissent. Ac prætextatorum.)id est,puerorum,qui prætexta adhuc,& bulla utebantur:quod (teste Budæo in prioribus annotationibus in Pandectas)fiebat usq; ad an= num 17,quo tempore togã uirilem sumebant, deposita præ textu puerili. Idem Budæus in posterioribus suis annotati onibus rationem reddit,unde prætexta dicta sit: Toga au= tẽ,inquit,prætexta ideò dicitur, quia togæ puerili purpu= ra prætexta erat. Idem eodem loci indicat, nobileis tantũ pueros prætextu,& bulla uti solitos:idq; ad omen, & uota conciliandæ uirtutis. Hæc ille.Porrò si quis plura hac de re discere cupit,Aul.Gellium lib.1.cap.23.& Macrobium lib.1.Saturnalium,cap.6.legat:ubi prætextæ,ac bullæ ori ginem copiose enarrant. Citra flumen Betim.)suple quod toti adiacenti prouintiæ nomen dedit. Se reci= pientes.)scilicet per Betim fluuium. Statim nanq; sequi= tur complures in fluuij ripis occisos, Propter locorũ difficultates.)scilicet quod Betis alterum ducem ab alte= ro ita seiungeret,ut uterq; nõ sine magno periculo flumen traijceret:idq; propter riparum altitudinem,crepidines, & amfractus. Cassius fidei magis quàm uirtuti legio num confidebat.)Fidei suplendum erga Cæsarem. Paulô enim superius scribit, Cassium Segoniæ ad Sicilienſe flu= men contionem habuisse,& comperisse:non sua,sed Cæsa ris absentis causa sibi fidissimos esse milites,nullumq; peri culum deprecaturos, dum per eos Cæsari prouintia resti= tueretur. Vllam contendit.)scilicet Hispaniæ ulteri oris, seu Beticæ oppidum, ut in secunda Europæ tabula apud Claudium Ptolemæum apparet. Interim Le=

pidus

pidus ex citeriore prouintia &c.)Cassius (ut Hirtius pau lò superius commeminit)ubi intellexerat Cordubenses, & exercitum Marcelli ab ipso defeciſſe,literas ad regẽ Mauritaniæ Bogudem,& ad M. Lepidum proconsulem in Hispaniam citeriorem miserat. Nunc ergo quid literis illis Cassius effecerit,idem prosequitur. Ad exeundum Cassium inuitat.)id est,ut ex castris,& munitionibus quibus tantum nõ à Marcello clausus erat, ad colloquiũ haud dubie cum ipso, & Marcello habendum prodiret. Quod quò facilius Cassio persuaderet,fidem suam in re omni interposuit Lepidus,id est,fidem publicam ultrò citroq; cõmeandi Cassio dedit, Germanicè er hat im ein gleit dar, und dannen gegeben. Si permaneret.)suple Lepidus in sententia,id est, si seriò lites inter se, & Marcellum dirẽptas flagitaret. Sed propè iam constituta opera cum complanarent.)suple Marcellini milites eas munitiones,quas Cassius disijciendos postulauerat. Si tamen in omnibus fuit Cassius.)id est,si modo Cassio minime opinanti,& de improuiso illa perfidia,& indutiarum uiolatio à Bogude rege facta est. Mox enim subnectitur. Nam de eius conscientia dubitabatur, scilicet utrũ fida an perfida esset. Nisi accipere manus conscientiã pro conspiratione, ut sit sensus:Nam dubitabatur,utrũ Cassius cũ rege colluderet, ac rem ita ex composito inter se gererent, necne.

Narbonem sub idem tempus Trebonius consul &c.) Sic quotquot ego exemplaria uidi,legunt,sed uitiosissimè. Neq; enim Hirtius hic ad Gallicas res describendas digreditur,id quod secundum uitiatam lectionem lectori uidetur. Siquidem Narbo colonia Romanorum toti prouin

tiæ Gal-

tiæ Gallicanæ nomen dedit. At dices, quo modo igitur legendum autumas? pro Narbonem, Norbam, quam Ptolemæus lib. 2. cap. 5. tabula Europæ 2 cognomento Cæsaream uocat: eamq; in Lusitania ulterioris Hispaniæ prouintia ponit. Quod autem sic lego, in causa est circumstantiarum ratio: ex qua colligi potest Hirtium etiamnum in rebus Hispanicis enarrandis occupatum esse, Cassij uidelicet gesta usq; ad finem prosequens. Mox enim subiungit, Cassum cognito Trebonij aduentu Malacam petijsse, ibiq; aduerso nauigandi tempore, Ibero se cõmisisse fluuio: atq; in eo fluctibus obrutum uitam cum morte commutasse. Porrò Malaca ignobile Hispaniæ ulterioris oppidum est, si Melæ ita scribenti lib. 2. credimus. Si autem Plinio lib. 3 naturalis historiæ cap. 1. Salduba, uel Malacha oppidum modo dictæ Hispaniæ idem nomen cum fluuio fœderatorum habet. Sin uero secundæ picturæ Europæ apud Ptolemæum, Salduba supra Malacam ponitur singulari nomine: & Malaca maritimum oppidum est, longissimè à fluuio Besola distans, nec ullum aliud flumen propinquius habens. *Ne per eam prouintiam.*) Supple ulteriorem Hispaniam. *Progressus secunda (ut hyberna tempestate.*) id est. Vt hyberna scilicet tempestas secunda esse potest. *Iberum flumen.*) Vnde autore Plinio li. 3. cap. 3. Græci totam Hispaniam Iberiam uocauerunt.

Cum in Syriã Cæsar ex Aegypto ueniisset.) Quoniam Hirtius supra in hoc libro scripserat, Cæsarem subacta Aegypto, & regibus in ea constitutis, in Syriam terrestri itinere profectum esse, nec quicquàm subiunxerat rerum inibi gestarum: ideò nunc quid in Syria per eundem actum sit pro-

ſit proſequitur. Quæ diſſoluendæ diſciplinæ, ſeue-
ritatisq; eſſent.)Priſcanus lib.18. Grammatices ait, Lati-
nos Atticiſmo in huiuſmodi locutionibus uti. Quemad-
modum enim inquit, Attici τὸ ἕνεκα omittunt, dicentes, οὗ
καθεύδειν πάρειμι, id eſt, dormiendi adſum ſcilicet cauſa:
ita Romani frequenter hac prætermiſsione utuntur in ge-
nitiuo nominum, quæ ſupinorum terminationes habent,
ut populi ſeruandi laborat, Reip. defendēdæ periclitatur,
deeſt cauſa, & cætera. Ad hunc ergo modū & Aulus Hir
tius hic locutus uidetur, dicens: quæ diſſoluendæ diſcipli-
næ eſſent, ſcilicet cauſa. Hæc in Syria, Cilitia, Aſia.)
id eſt, ſuplendum propriè ſic dicta, de qua iam antea ſatis
diximus. Tyrannos.)Quid tyrannus à rege differat
cum ex hac Heſichij definitione cognoſci poteſt, τύραννος
παράνομος βασιλεύς, ἢ ἄρχων ἀπηνής, ἢ ἀπάνθρωπος, id eſt,
Tyrannus eſt iniquus rex, aut princeps immitis, & inhu-
manus: tum ex Nabidis tyrranni oratione apud Liuium
lib.4. belli Macedonici, ubi ait ſe primum à Romanis re-
gem, mox tyrannum uocatum eſſe. Omnium uero rectiſ-
ſimè diſcrimen horum poſitum uidetur à doctiſsimo, &
pientiſsimo uiro D. Philippo Melanchthone præceptore
meo in Græca literatura, Theologia, & artibus rectè diſ-
ſerendi, dicendiq; mihi ſemper obſeruando. Cuius uerba
ex; genere definitionis ex effectibus, ſeu officijs ſubijce-
re non grauabor. Rex, inquit, eſt qui unus rerum po-
titur, & ius dicit ex certis legibus. Tyrannus uero eſt,
qui unus rerum potitur, & ius dicit ex ſuo arbitrio ſine
legibus. Cæterum Dynaſtæ Græcis à potentia nomen ha-
bēt, & regnorū Domini, optimates, & magnates uocātur.

Qua uoce(ni fallor)& Cicero in familiaribus epistolis u= titur aliubi. Prouintiæ.)scilicet Asiaticæ,Supra enim in hoc eodem lib.ait Hirtius Domitium Caluinum Asiæ, & finitimis regionibus præfectum esse. Euocat Tar sum.) Hoc oppidum quamuis alia multa eximia habeat, tamen unum hos maxime eximium est:quod de diuo Pau= lo electo Dei instrumento, ac Gentium apostolo primario alumno suo gloriari potest. Prouintiæ.)suplendum Cilitiæ. Cupiditate proficiscendi ad bellum.)suple cum Pharnace in Ponto gerendum,uti paulò inferius cer nere licet. Ne aut regni hæreditas Ariaratem solici= taret.) nimirum quod Ariobarzanes natu maior Cappa= dotiæ regnum iure hæreditario adiret. Supra enim Hir= tius narrat, Deiotarum Armeniæ regem ad Domitium scripsisse,eiq; supplicasse:ne Cappadotiam regnum Ario= barzonis possideri, uastariq; pateretur à Pharnace. Hic ergo nunc ait,Cæsarem ita negotium temperasse,dum re= gnum Ariobarzani attribueret, ut minorem natu fratrũ, regni hæreditas non solicitaret: & maior regni hæres al= terum minorem potentia regali terrere, & concutere ne= quiret. Hoc autem ita demum esse confectum,ut Ariobar zanes sub Cæsaris imperio,ac ditione esset. Deiota= rus tetrarches Gallogræciæ.) Quæ & Galatia uocatur, de qua Plinius li.naturalis historiæ 5.cap.ultimò:& Stra= bo lib.12. Sicuti & supra lib.3.de bello Ciuili nonnihil me= minimus. Repræsentaturus esset.) .i. re ipsa præstatu= rus hoc, quod polliceretur.Sic enim Hirtius hic usurpare uidetur,ut sint fortassis duæ dictiones non una. Alioquin me non fugit,repræsento rursus præsento,hoc est offero, ac

in momo=

in memoriam reuoco significare. Qui non fuissent in se officiosi.) Ita Aldinum, Vuolffianum, Beroaldinum, & Gryphianum exemplar legit, sed meo iudicio mendose. Cũ enim Pharnaces officium suum erga Cæsarem commemorasset, quod uidelicet Pompeianas parteis non esset secutus, & per hoc Cæsari purgatus esse uellet: Cæsar respondet, se purgationem illam non accipere. Neq; enim inquit, satis est, si quis in me officiosus, & interim in prouintias, & socios populi Romani iniuriosus sit, ut tu fuisti. Proinde aduerbium negandi, non, expungendum in textu arbitror. Cæterum schema hoc inuersio, siue ἀντίστροφον à Rhetoribus uocatur: de quo Gellius lib. 5. cap. 10. Q. D. Cæsar, imò non mihi gratificatus es in eo, quod Pompeio te non adiunxisti: sed timetipsi. Quod enim illius partes non es secutus, hoc lucrifeciſti, ne à me uincereris. Infelici ante Triarij.) Plutarchus in Luculli uita testatur, Triariũ non expectato Luculli exercitu, conserto prælio, ingentem accepisse cladem. Supra nanq; septem Ro. millia occubuerunt, centuriones centum, & 50. tribuni militũ plusquàm 24: & quod omnium ignominiosissimum erat, Mithridates Ponti rex Romanorum castris potitus est. Milites ab operibus reuocat.) supra enim ait, militibus præceptum fuisse, ne quis ab opere comportandi aggerem è castris in eum locum quem hostibus præripuerat, discederet.

Falcatæ regiæ quadrigæ &c.) Quæ forma falcatarum quadrigarum fuerit, ex 7. Liuiano libro de bello Macedonico discere possumus: ubi Antiochi quadrigas in hæc describit uerba. Armatæ autem in hunc maximè modũ erãt, cuspides circa temonem, ab iugo decem cubitos extantes,

uelut cornua habebant: quibus quicquid obuium daretur, transfigerent, & in extremis iugis binæ circa eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior ad terrã deuexa: illa ut quicquid ab latere obiiceretur, abscinderet, hæc ut prolapsos, subeuntesq; contingeret. Item ab axibus rotarũ utrinq; binæ eodẽ modo diuersæ deligabãtur falces. Mul-tũ adiuuante natura loci, suple Cæsareanos.) Paulò nanq; superius narrat Hirtius editissimũ collẽ oppido Zelæ con-iunctũ & à Cæsare occupatũ esse: & modò ait, Pharnacẽ in primo congressu uallẽ aduersus arduũ collẽ ascendisse, ita, ut Cæsar hominis cõfidentiam, ne dicam temeritatem admiratus sit. Legionẽ sextam decedere ad præmia.) De ueterana emerita, beneq; de Cæsare merita loquitur: quippe cuius uirtute uictoriæ initiũ modo natũ erat. In Italiam celerius omnium opinione uenit.) Appianus li. 2. bellorum Ciuilium refert, præter urbanos motus, grauissi-mam militum seditionem à Cæsare Romæ sedatam esse: ac deinde expeditionem Africanam factam.

IN AVLI HIRTII AVT OPII LIBRVM V. DE BELLO Africano, Argumentum Io-annis Rhellicani.

Quum ad finem superioris libri Hirtius Cæsaris ad-ventum in Italiam descripsisset: nunc ab huius libri initio, quibus modis inde in Africam nauigauerit prosequitur. Deinde quo pacto Scipionem, Sextum Pompeium Magni Pompeij filium M. Portium Catonem cognomento Vti-censem

censem Afranium, & Petreium unà cum rege Iuba inibi deuicirit: atq; ex huius regno prouintiam fecerit, commemorat.

EIVSDEM IO. RHELLI CANI IN EVNDEM LIBRVM DE BELLO AFRICANO Annotationes.

TINERIBVS iustis confectis.) scilicet ex Italia Siciliam uersus. Ad 14 Kalen. Ianuarij, id est, 19. Decembris. In Lilybæum.) suplendum Siciliæ insulæ promontorium, quod (teste Pomponio Mela lib. 2.) Africam spectat: ideoq; Cæsar illam petiturus, commodissimè ad hoc littus appulit. Ab incolis eius prouintiæ.) scilicet Siculæ. Interim in dies & naues longæ adaugeri.) id est, adaugebantur, & onerariæ complures eôdem concurrere, id est, in Lilybæum, concurrebant. Est nanq; modi uerborum ἐναλλαγή. Et insulam petere Aponianam, quæ abest à Lilybæo. Quandoquidem nihil apud Geographos de Aponiana insula inuenio, mendum in quatuor prænominatis exemplaribus esse suspicor: & pro Aponianam, Paconiam legendũ arbitror: Ratio autem cur sic legã est, quod in septima Europæ tabula apud Ptolemæum, Paconiam insululam uideo à regione Siciliæ

poni uersus Africam: Quod autem Hirtius ait, quæ abest à Lilybeo, ideò factum est: ne quis insulam Paconiam promontorio Siculo coniunctam putaret. Quanq; Beroaldina castigatio Florentiæ (ni fallor) excusa, nõ abest, sed uitiosissimè habet. Ad 6 Kalendarum Ianuarij.) id est, 27 die Decembris. In conspectum Africæ, id est, adeò propè Africam, ut eam cernere posset. Clupeam præteruehitur.) scilicet oppidum minoris Africæ, uti supra lib. 2. bellorum Ciuilium annotauimus. Neapolim.) suple liberum Africæ oppidum, autore Plinio lib. 5. cap. 4. quod (Volaterrano teste) etiam Leptis parua alio nomine dicitur, inter duas Syrtes, ubi hospitales homines Lotophagi habitant, posita. Postquàm Adrumetum accessit.) Quam Plinius in modò allegato loco liberam Libyphœnices urbem esse tradit. Oppidani interim.) suple Adrumetini. Gubernatoribus, præfectisq;.) suple nauium. Inoppidum.) scilicet Adrumetum, ubi præsidium erat, cui C. Considius præerat. Literasq; nondum perlectas, sicut erant signatæ &c.) Hinc primum Considij fides imperatori suo data, & seruata eluceſcit. Deinde Ro. disciplina militaris obseruanda, qua haud dubie cautum erat: ne quis quid cum hoste, imperatoris iniussu aut colloqueretur, aut alio modo ageret. Neq; responsum ullũ dabatur.) scilicet L. Planco. Neq; ei.) scilicet Cæsari reliquæ copiæ succurrebant, paulò nanq; superius Aulus dicit, Cæsarem Allieno prætori Siciliæ in mãdatis dedisse, de reliquo exercitu nauibus imponẽdo: quod nimirum nondum erat factum. Inferius nanq; Hirtius ait Rabirium Posthumium in Siciliam ad secundũ commeatus

atum accersendum, à Cæsare missum. Eas q; tyronum.) scilicet copias. Ab exordio huius libri ait, Cæsari legionẽ unam tyronũ fuisse, quum Lilybæũ attigisset, & iam iam nauim conscensurus esset. Iter constitutum ire contendit.) Figurata locutio est, qualis illa Pamphili Terentiani: Hunc scio solum solide mea gaudia gauisurum.

Quæ imperasset fecere.) Facere legendum est. Ad oppidum Ruspinam.) Ruspina, & Leptis eiusdem Libyphœnices (de qua modò diximus) libera oppida sunt, testante Plinio in præallegato loco. In Sardiniam.) supple insulam maris nostri. Ad Cercinnam insulam uersus.) scilicet Africæ, contra minoris syrtis promontoria sitam, autore Mela lib. 2. Miserari.) id est, miserabatur,

Regium equitatum.) Iubæ uidelicet regis Mauritaniæ.

Cum Sulpitio, & Vatinio rem gesserant.) id est, militauerant, & sub illorũ ducum auspicijs meruerant. De Vatinio classis Brundusinæ præfecto supra lib. 4. bellorum Ciuilium.

Cum ea copia conscendit.) Grammatici docent copiam in singulari numero abundantiam, in pluratiuo autem exercitus manum significare: at hic eam differentiam non seruatam esse uides.

Insidiosæ nationis.) supleto Numidicæ, & Mauricæ. Non enim multò ante dicit Mauris in more esse, ut in insidijs cum equis inter conualleis lateant: & subitò erumpant, non ut in campo iusta acie decertẽt. De Numidis uerò (quos Herodianus à Græcis Mauruscios uocari tradit) Procopius li. 4. de bello Vandilico ita scriptum reliquit, ubi de fœderis cum Ro. Imperatoris duce icti, et uiolati agit. Mauruscij interea quotquot apud Byzacium, & in Numidia habitabant ad defectio-

nem ex nulla penitus causa tendebant: ac statim fœdere soluto arma contra Romæos parare decreuerunt, & hoc quidem ex more patrio faciebant. Illis enim neq; Dei metus est ullus, neq; hominum reuerentia, neq; item iurisiurandi aut obsidum ulla cura, etiamsi filios, aut fratres ipsorum ducentium exercitum eos esse contingeret: deniq; cum nullo pacem habent, nisi cum his, quorum metu coërceantur. Hæc ille: A quibus non dissentanea Polybius lib. 3. de iisdem, scribens. Est hic, inquit, Numidarum mos, ut primo statim congressu dantes terga, passim fugiant: mox uerò ubi uisum fuerit, gradum rursus sistant, hostemq; incredibili audatia, ac robore adgrediãtur. Nauiũ pars, de qua timebat.) nimirũ de ea nauiũ parte loquitur, quæ Vticam uersus antea nauigare uisa erat. Atq; ordinati signa seleniter consequi. (Vuolffianũ, Aldinũ & Gryphianũ exemplar corrupte legũt, ordinati: illa tamẽ corruptius quã hoc, quod addit in. Hinc nanq; cõiecio Beroaldinã æditionem, pro ordinati in signa, rectius habere, ordinatim, ut sit sensus: Cæsar iussit equitatũ, & sagittarios accersi, atq; ordinatim signa se leniter cõsequi. Milites in campo iubet galeari.) i. armari, ut κατὰ συνεκδοχήν pars pro toto accipiatur. Acies interim mediæ.) scilicet utriusq; exercitus. Vnde apparet, illud superius, ubi ait: Duo Pacidij aciem dirigunt, ita intelligendum, ut de media potissimũ acie loquatur: præsertim quum paulò post ibidem sequatur dextri, ac sinistri cornu instructio, & hic Numidas leuis armaturæ inter equites mediæ aciei procurrisse commemoret. Latere.) scilicet aciei nudato. Equites Iuliani.) id est, Cesareani. Intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebãtur.) Sypontinus ait, cancellos opus esse sub

tilis

tili materia in tranuersum compacto, ad rhetis similitudinem factum: quod frequentia foramina habeat. At Hirtius (si quid ego iudicare possum) simpliciter pro septis hic accipere uidetur: ut sit metaphora à nocentibus sumpta, qui feris intra septa cõclusis obijciuntur, ut cum eis pugnent. Vel saltem ab ijs, qui etiam intra septa: seu circumsingulari certamine inter se congrediuntur. Signa Decumanorum.) id est, decimæ legionis. Cæsar interim consilio hostium cognito.) Quod scilicet exercitus ipsius prælonga hostium acie ita circumuentus esset, ut in orbem cõcluderetur: ut huic malo occurreret, ipse quoq; aciẽ suam in longitudinem porrexit. Conuersis cohortibus.) scilicet ex orbe in longitudinẽ. Vt una post alterã ante signa tẽderet.) id est extẽderet se, ut sit ἀφαίρεσις, simplex uerbum pro cõposito. Ita coronam.) id est, aciem hostium coronæ instar condensatam, sicuti dicimus uerba facere in corona doctissimorũ uirorũ. i. in cœtu, seu conssessu frequenti. Superius enim modò dixerat Hirtius aciem hostiũ equestrem leuis armaturæ Numidis, & sagittarijs ita confertã, & condensatam à Labieno, & Pacidio fuisse, ut procul Cæsariani pedestres copias arbitrarẽtur: præterea dextrũ ac sinistrũ cornu mangnis equitum copijs firmatũ.

Cum equitibus Numidis M. C.) Beroaldina castigatio (si modo typographus Florẽtinus nõ errauit in excudẽdo) CCC duntaxat legit. At cohortes suis terrore firmatis.) Beroaldi editio pro, at cohortes, Hostes, & ni totus fallar, rectius legit. Iã. i. Hirtius ostẽdit, quo pacto animus hostibus infugã uersis sit, redditus, nimirũ M. Petrei & C. Pisonis aduẽtu: quorũ auxilijs adeò recreati sunt, ut nouissimã

Cæsaris agmen sese in castra recipiens carpserint. Et ita Labienum dixisse pro contione.) Florentinus codex à Beroaldo emẽdatus, pro Labienum, Iubam legit, sed peram: id quod sequentia liquido commonstrant. Vt etiam cædendo.) id est, feriendo, in ipsa victoria.) id est, quamuis contingeret Cæsareanos uincere, tamen fore, ut cædendo inferiores fierent hostibus, quos non omneis cædere, & occidere possent. Quippe non illorum.) Et hic erratum est in Aldino, & Vuolffiano codice pro quibus Beroaldus, & Gryphius rectè habent. Quippe qui in nullo illorum sibi confideret: Hoc est, Labienus ideò hæc gloriabundus pro cõtione dicebat, quod in nullo illorum scilicet adüersariorum ullam salutis spem poneret. Cuius consilij Labienici circiter sex rationes Hirtius subiungit.

Ibiq; postea ex hibridis.) id est, ex ijs, qui partim ex ingenuis, partim ex seruis nati erant: tracta metaphora à semiferis suibus, ut docet Plinius lib. naturalis historiæ 8. ca. 53. Præterea regia auxilia.) scilicet Iubæ regis Mauritaniæ. Quæ sanè nota inter alias complures, quas hoc loco uides, certissima est, priora uerba in concione non Iubæ, sed Labieno tribuenda esse. Hippotoxotisq; complu-

ribus.) Hoc est, equitibus ijs, qui arcu iaculantur: composita enim uox apud Græcos est ἀπὸ τοῦ ἵππος, καὶ τόξον. De qua uoce & supra lib. 3. de bello Ciuili nonnihil annotauimus. Pridie nonarum Ianuarij.) id est, quarto die Ianuarij. Epibatarumq;.) id est, classiariorum, hoc est, militum in nauibus merentium, autore Budæo in prioribus Pandectarum annotationibus. Vnde autem Græcè dicantur, supra admonuimus. Sagittarijsq; ex omnibus na-

bus nauibus Ithyreis.)ſuple populis Cœle Syriæ regionis, de quibus Plinius lib.5.cap.23. Frequentabat.) id eſt, augebat ſuas copias. Officinas ferrarias inſtruere.)Pro inſtruebat ſuple Cæſar. Debebat autẽ hic nouæ ſententiæ initium eſſe. Reddita enim iam cauſa, cur exercitum ſuum Cæſar militibus undiq; aduocatis auxerit: nunc quo pacto bellica inſtrumenta, & tormenta parauerit, & de commeatu proſpexerit, perſequitur. Id quod ſequentia uerba in contextu haud obſcure præſeferunt.

Ab audacibus, ſceleratiſq; ciuibus.)Vtpote Cinna, & Carbone: de quibus, & alijs rebus geſtis, quæ hic recenſentur, uide Plutarchum in uita Pompeij, & Appianum lib. 1. bellorum Ciuilium. *Ad inſulas Baleares.*)ſcilicet in Hiſpania aduerſus Tarraconenſia littora ſitas, autore Mela lib. 2. de quibus uideto plura ſuperius lib. 2. de bello Gallico à nobis annotata. *Neq; per anni tempus.*)ſuple hybernum. Nam non ita multò antè Hirtius ait, Cæſarem ad 5 Nonarum Ianuarij caſtra mouiſſe, Leptiq; ſex cohortium præſidio relicto, in Ruſpinam oppidum reuerſum eſſe. Et paulò inferius tradit, Cæſarem cum Labieno pridie nonas Ianuarij in cãpis planiſſimis, puriſſimisq; decertaſſe. *P. Sitius interim, & rex Bogud &c.*)Quonam pacto Sitius in Africam uenerit, & Bogudi regi ſe coniunxerit, Appianus lib. 4. de ciuilibus Ro. bellis ita deſcribit. Sittius (ſic enim inibi legitur) Romæ accuſationem propriam ferre non auſus, arrepta fuga, exercitum in unum cõparauit. Deinde ex Italia, & Iberia in Libyam nauigauit. Libycis porrò regibus ad inuicem contendentibus bello, per parteis opem attulit. Quibus autem attu-

lisset continue uictoria exultantibus, Sittij nomen adeptus est. Nam exercitus eius splendidè armis depugnabat. Caio demũ Cæsari in Libya persequenti Pom. auxilium impendit, & Soborram Iubæ præfectũ perillustrẽ occidit. Hæc ille. Porrò q̃ Libyæ partẽ Bogud rex tenuerit, supra ex q̃ Hirtij li. conijcere possumus, ubi ait: Cassium ex Hispania literas ad regem Bogudẽ in Mauritaniã misisse. Vnde cõstat eum Maurorũ regem fuisse. Verumenimuero quoniã & Iuba Bochi filius Mauritaniæ rex fuisse scribitur: uerosimile est, utrũq; obtinuisse aliquã Mauritaniæ partẽ. Cuius sanè rei idoneũ testem Plinium habeo, qui li. 5. ca. 2. naturalis historiæ duplicẽ Mauritaniã ita describit: Namq; diu regum nomina obtinuêre, ut Bogudiana appellaretur extima, itemq; Bochi, quæ nunc Cæsariensis. Quo fit, ut & Bogud coniunctis copijs suis cum Sittio, tantò celerius in Iubæ regnum incursionem facere potuerit. Suppetias profectus est.) scilicet ferre, ad ferendum uel laturus. Aliquid enim tale omnino subaudiendum est, quũ oratio ellip-tica sit. Aestate inita.) In Ianuario hæc, quæ hic describuntur, facta esse nihil dubito. Ex præcedẽtibus enim citer tres istius rei notas inuenire est: quarũ unam & alteram modò adduximus. Ex sequentibus uerò una quidem, sed omnium certissima hæc est, quod Hirtius tradit, Cæsarem post naues onerarias ad tertium commeatum transportandum ex Sicilia ordinatas, 6 Kalendas Februarij ad Ruspinam oppidum cum exercitu profectum. Vnde conijci potest, ea de quibus hic sermo est, in Ianuarij fermè medio facta esse. Propè igitur æstas erat, præsertim in Africa, ubi Cæsar tum agebat: quippe quæ Solis uim ma-

iorem

rem habeat, quàm noſtra regio. Illa enim inter cancrũ tropicum, & æquatorem magna ex parte ſita eſt: hæc uerò inter tropicum cancri, & circulum arcticum, in quo plus pars aliqua uerſus Aquilonem porrigitur, eò tardiu æſtatem ſentit. Ad Allienum.) ſcilicet Siciliæ prætorem. Et Rabirium Poſthumium.) ſcilicet quem antea in Siciliam miſerat ad ſecundum cõmeatum tranſportandum. Hyemis.) id eſt, tempeſtatis, ſeu hyberni temporis, quia (ut modò diximus) Ianuarius nondum exactus erat. Vnde & modò dictus ſenſus noſter de Africana æſtate comprobari poteſt Et elephanti perterriti ſe ad ſuos reciperent.) Plinius lib. 8. cap. 8. his conſentanea ſcribit, nempe elephantes minimo ſuis ſtridore terreri: ulneratosq́, & territos retrò ſemper cedere nõ ſine magna partium ſuarum pernitie. Quod Scipio ut uir prudens, & ſolertiſsimus imperator præſciens, hoc ſtratagemate eos in hoſtes cõuertere docuit. Audere enim ſcilicet ſolent. Cui præerat Saſerna.) Supra Hirtius tradit, Cæſarẽ ad tertiũ Nonarũ Ianuariȳ caſtra mouiſſe, & Saſernam cum ſex cohortium præſidio Lepti præfeciſſe. Ergo quando hic additur cum cohortibus tribus, non de Saſernæ præſidio, ſed Labieni cohortibus intelligendũ eſt.

Ideoq́, poſt uocem Saſerna cõmatis diſtinctio ponenda. Ante portum, portam ſcribendũ eſt. Et ad decumanam defixo.) Hæc lectio Aldi, Gryphij, & Volffij eſt, ſecundũ quam Hirtius ſignificare uult, decurionẽ illũ ita percuſſum eſſe: ut ad decumanã. i. ſcutũ ſuũ ampliſsimũ defixus ſit. Sic nanq́ Feſtus Pom. de uerborũ ueterũ ſignificatione li. 1. inquit. Albeſia ſcuta dicebãtur, quibus Albenſes, qui

qui sunt Marsi generis, usi sunt. Hæc eadem Decumanæ uocabãtur, quod essent amplissima, ut Decumani fluctus. Cæterum Beroaldi castigatio legit, ad terram defixo, quorum utrunq; non inepte huc quadrat. In prætorio sedens.) id est, in prætoris, hoc est cõsulis, & imperatoris tentorio. Qui enim posteris temporibus consules, antiquitus prætores uocabantur. Vnde & proprætores, qui procul in prouintia aliqua ius dicebant, eamq; totã administrabant, dicebantur. Qui mos etiã nunc in Heluetijs apud Lucernanos, Vituduranos, Bernates, Solaturẽseis ac Friburgẽseis in Nuichthonibus durat. Qui enim in Tigurina, Basilienſi, Sangallenſi, & Scaphusana reip. cõsules: illi in prædictis Heluetiorũ urbibus prætores appellantur. Et concessam uitam, & ignota peccata.) ut post captam Massiliam, prælia ad Ilerdam &, pugnam in campo Pharsalico factam. Et extra uallum stili cæci mirabilem in modum consiti.) Supra lib. 7. de bello Gallico admonuimus, talea s, & stimulos à Cæsare uocari, quos Hirtius hoc loco stilos cæcos appellat, eò quod terræ ita inserti essent, ut præcæcitate, id est, obscuritate, prima fronte uix cernerentur. Cæcum enim tam de animatis, quàm inanimatis dicitur quod aut non uidet, aut quod uideri nequit. Scorpionum, catapultarum.) De scorpionibus supra diximus. Catapultarum autem inuentio à quibusdam Syris, à quibusdam uerò posteriori Dionysio Syracusanorum tyranno accepta fertur. Et si Grammaticis credimus à de pellendo nomen habent: & Nonio Marcello de sermonum proprietate expositore, catapultæ iacula, uel sagittæ celeres sunt. Quæ autem capultarum effigies sit, consulito Vitruuium

sium li.10.de Architectura cap.19. In secundo commeatu.) qui per Rabirium Posthumium accersendus erat ut non multò antè ex superioribus(ni fallor)admonuimus.

Vt antè dixi.) Modò enim dixerat, Scipionem instructissima acie,haud ita longè à Cæsaris castris in campo cõstitisse. De terrore suo.) scilicet quem ipse Cæsareanis incussisset. Beneficio C. Marij usi fuissent.) Hoc nimirum tum factum est, quum Marius cõsul unà cum L. Sylla quæstore suo, Iugurtham Numidarum regem deuicit. De quo uide Plutarchum in Marij uita, & Salustium in bello Iugurthino. Cæsaremq; eius affinem audiebant.) Idem Plutarchus statim ab initio uitæ Cæsareanæ docet, Iuliam Cæsaris amitam uxorem maioris Marij fuisse: ex qua Cæsaris consobrinus creatus sit Marius minor.

Vt manu.) id est, militum caterua facta, & inter se conspirante, se suosq; defenderent. Considius Longus.) De quo supra ab initio istius libri. Missum à Cæsare cum classe demonstrauimus. Superius nanq; in hoc eôdem libro narrat C. Salustium Crispum prætorem ad Cercinam insulam uersus (quam aduersarij tenebant) cum parte nauium ire iussum, quod ibi magnum numerum frumẽti esse audierat. Allienus interim proconsul.) Suplendum Siciliæ, quem supra à capite huius libri prætorem uocat. Vnde colligitur, me paulò antè rectè sensisse, quãdo dixi proprætores antiquitus eos Romanis dictos, qui posteris temporibus proconsules nuncupabãtur. Porrò quẽadmodum Cæsar(ut Hirtius supra testatur) per Catascopum Allieno significauerat, ut primo quoq; tempore exercitum(qui adhuc in Sicilia uentũ prosperum expectabat)

in Afri-

in *Africam* transportandũ curaret: ita hc à proconsule eodem factum uides. *Atq; sub manum*, id est, in potestatem Scipionis submittere non intermittit. *In quotrtici modia milia CCC*. Sic multoties iam dicta exemplaria omnia legunt, sed haud dubie depravatissime. Nam primum in uoce modia manifestus est barberismus. Deinde ut maxime in pluratiuo numero modia diceretur, ceu alicubi apud Iurecõsultos denaria: tamen cuo substantiua ita constructa solœcismum sapiunt. Proinde nihil dubito, quin Hirtius pro modia, modiũm scripserit: sicuti & alij historici numũm pro numorum sæpe dicunt. P. Sitius interim.) Quem antea coniunctis suis copijs cum rege Bozude, in Iubæ regis ditionẽ feciſſe incursionẽ Hirtius meminit. *Ipse sexto Calendarum Februarij.*) id est, 27. Ianuarij. *Adparitores.*) Quos Cicero in familiaribus epistolis statores uocat: qui alio nomine & lictores, & uiatores Latine appellantur. *Vigilia tertia* iubet omneis legiones ex castris educi.) scilicet quæ non procul à Lepti libera urbe secundum littus facta erant: ut scribit Hirtius supra. *Velut theatri efficit speciem.*) Sypontinus refert, theatrum hemicycli formam habuisse atq; ita dispositum, ut à fronte inter duo cornua scena esset. Cuius rei si figuram cognoscere cupis, Vitruuium li. 5. de Architectura, cap. 6. & 8. uide. Vnde apparet campũ istum (de quo hic loquitur Hirtius) semirotundum fuisse: ac iugum inter duas extremitates eius, ueluti scenam quandam præse tulisse. *Equestreḿq; copiam.*) En rursus Grammaticorum differentiã inter copias, & copiam non seruatam. Nam & hic in singulari numero

mero pro exercitu pedestri, uel turma copiam usurpauit. Etenim exẽplaria uariant. Vuolffianũ enim, Aldinũ ac Gryphianũ, pedestrem: Beroaldi autem castigatio Florentiæ ædita, equestrem legit. Præsidiumq; inde deturbarent.) scilicet Scipionis. Paulò enim superius scribitur, in campi iugo colles excelsos paucos fuisse, in quibus singulis quum turres, speculæq; antiquæ essent: apud ultimam præsidium, stationemq; Scipionis collocatam esse.

A' mane diei.) Mane hoc loci nomen est, sicut & apud poẽtas sæpe legitur mane nouũ, & clarũ: & ueluti dicimus sponte mea, & satis pecuniæ. Qua de re consulito Priscianum lib. 15, Ieiuni sub armis.) Pro in armis stetissent.

Subito nuntio de equestri prælio allato.) scilicet in quo Scipioniani pessimè accepti, fusi, & trucidati erant à Cæsaris equitatu. Belli iure capto.) utpote in quos non amplius sæuire ius gentium, & militare prohibebat. Vnde facile colligitur, centurionem istum ideò noluisse Scipionem imperatoris titulo salutare: quod ius belli cum non seruaret. Supraq; legimus duos Titos captiuos ab eo interemptos. Vergiliarũ signo confecto.) id est, completo, hoc est, quũ non amplius apparerent Vergiliæ: utpote hyberno tempore. Plinius nanq; lib. 18. ca. 29. ait Vergiliarum exortu æstatem: & earundem occasu hyemem incipere. Quales autẽ stellæ sint Vergiliæ, idem autor li. 2. ca. 42. hisce ostendit uerbis. In cauda tauri septẽ sunt stellæ, quas appellauere Vergilias. Eadem Higinius li. 3. astronomiæ poẽticæ scribit. Hanc constellationẽ Germani ob situs similitudinem, gallinam pullos suos sub alis fouentem appellant, uulgò apud Heluetios ein gluggeri.

Cæterum

Cæterum quia insolitũ est, hyberno grandinare, ideo Hirtius inquit: rem Cæsari auditu incredibilem accidisse.

Oppidò perquàm pauci sub pellibus acquiescebant.) Sub pellibus, id est, tabernaculis ex pellibus confectis. Mox enim sequitur, alios tenuiores milites tentoriola ex uestibus, & arundinibus construxisse. Cæterum oppidò hic adnerbium est, non nomen: ideoq; cum graui accentu scribendum. Contra Sitium relicto.) Qui scilicet ipsius regnum simul cum Bogude inuaserat, & iam castellum cum loci natura munitum, tum omnium rerum copia abundãs cœperat. Exercitus Scipionis à terrore Cæsaris.) Hiulca, & mutila oratio cum in Aldi, Gryphij, tum Vuolphij exemplo est: Beroaldi autem æditio hiatum, & mutilationem complens, uerbum liberaretur, addit, & κῶλον appingit. Erat in Castris Scipionis &c.) Beroaldus Cæsaris legit, & circumstantiarum ratio eam lectionem magis natiuam esse comprobat. Qui enim constarent sibi ea quæ sequuntur? nullo modo. Nam statim sequitur, despectis regijs copijs, omnẽ terrorẽ exercitui excussum. Quod si de Scipionis exercitu intelligendum est, non cohæret cũ eo, quod statim subiungitur: nempe Scipioni animum ex Iubæ aduentu additum. At nec ista pericopa, quæ incipit, Quo facto &c.) menda caret. Pro, illatum, nanq; legendum est, intellectu: ad quem modum & Beroaldina lectio habet. Is hac ratione opus instruebat.) Et hic locus mendosus est. Primum enim superuacaneum esset relatiuum is, quum alioquin nondum finita pericopa, antecedens cuiuis obuium sit. Deinde quod Beroaldina castigatio, pro is, hoc legit. Vnde coniectura adducor, ut credam,

dam, librariorum incuria pro his, aut ſalté id, is eſſe ſcriptũ. Nam ſi legas his, durius cum præcedẽtibus cõueniret.

Itemq; equites Curiani.) Eos nimirum equites innuit, qui ſub Curione in Africa meruerant: & tandem imperatore ſuo interempto, alijs Siciliam repetentibus, in Iubæ regnum dimiſſi erant. De quo uide ſupra calcem libri ſecundi de bello Ciuili. Nauibus onerarijs.) ſupleto ſex. Sic enim Hirtius de hoc tertio commeatu tranſportando ſuperius narrat. Cæſar poſtquàm legionibus ueteranis duabus, equitatu, leuiq; armatura copias ſuas ex ſecundo commeatu auxerat: naueis ſex onerarias ſtatim iubet Lilybæum ad reliquum exercitum tranſportandum proficiſci.

Quod cæteri diſſimiliter ſe gerant.) Hoc eſt, illorum exemplo edocti melius ſe gerant. Habes hic egregiũ exemplum in Cæſare alioquin natura leniſſimo, quando in maleficos animaduertendum ſit: nimirum tum, (ut Cicero in officijs ſuis docet) quũ nulla ſpes eſt, fore, ut in melius mutentur: aut ſi impunes dimitterentur, uerendum eſſet, ne alijs peccandi licentiam augerẽt. Quantũ enim præpoſtera illa lenitas, & miſericordia omnibus rebus pub. ſemper obſit, luculentiſſima C. Memmij tribuni plebis oratio apud Saluſtium in bello Iugurthino declarat: Porrò Beroaldinum exemplar plures ignominia notatos, & ab exercitu Cæſaris dimiſſos commemorat. Ante T. nanq; Alliænum, Tuſcium Salienum ponit. Triplici bello.) ſcilicet uno aduerſus P. Sitium, altero aduerſus Cæſarem, tertio contra Getũlos, qui ab ipſo defecerant. Cæſar brachijs perfectis.) Redit ad Cæſaris munitiones deſcribendas. Quum nanq; ſupra duo brachia ita ab eo duci, &

erigi cœpta esse commemorasset: ut ad angulum dextrum, sinistrumq; oppidi Vzitæ conuenirent, nunc quo pacto eadem perfecta sint, narrat. Quid autem brachij nomine intelligendum sit, superius libro quarto bellorum Ciuilium coniecturam nostram aperuimus. Sub Hyempsalis regis.) scilicet Numidiæ, qui Masinissæ ex Micipsa filio nepos fuit, ut scribit Sallustius à principio belli Iugurthini.

Cum C. Saserna.) suple, qui antea Leptino præsidio à Cæsare præfectus fuerat. Cum nihilominus eius sermonem nuntius ad se referret.) id est quum adeò nihil Scipio suo mandato effeciisset, ut nuntius, quem ad Aquinium miserat, eius hoc est Aquinij sermonem ad se referret, id est, in se reciperet, si quid incommodi inde accipiendum foret: idemq; diceret, ut Aquinius quæ uellet dicendo perageret. Neq; enim puto Hirtium tam ineruditum, & male grammaticum fuisse ut reciprocum pronomen, se, ad Scipionem retulerit: q.d. quum nihilominus eius, id est, Aquinij sermonem ad se, suple Scipionem nuntius referret, diceretq;, ut, id est, quomodo reliqua quæ uellet scilicet Aquinius perageret, uidelicet cum Saserna. Deducunt.) suple Scipioniani. Supercilium quoddam excelsum.) id est collis eminentiam: metaphora ab oculorum superciliis ducta. Quanquàm longè diuersa lectio in Beroaldi codice est. Nam sic, & meo quidem iudicio rectius legit, & super alium quendam excelsum natura locum. Etenim quoniam supra legimus Labieni præsidium ex colle decussum, &c. Locus quidam perimpeditus.) supercilium illud, seu præaltum illum locum haud dubiè innuit, quem Scipioniani occupauerant. Nunc ostendere uidetur Hirtius quo pacto Scipioniani alium æditum locum obti-

nuerint

nuerint. *Post autem elephantos armaturas leueis &c.*) *Leuis armaturæ milites eam haud dubiè ob causam post elephantos collocauit: ut si lapilli in eorũ terrorem ab hostibus eiicerentur, illi quoq; lapillis emissis eos in hostẽ conuerterent. Sic enim à Scipione instructos antea ex Hirtio didicimus. Habuit legionem nonam &c.*) Quoniam hic locus perperam distinctus est, & nonnihil obscuritatis habet, eum cõmatis, colis, & periodis distinguam: simulq; eidẽ (si potuero) aliquid lucis afferam. *Habuit legionẽ nonam, septimam in siniſtro cornu. Trigesimã, uigesimam nonam, tertiam decimam, quartã decimam, uigesimam octauam, uigesimam sextam in media acie scilicet habuit. Ipsum aũt dextrum cornu, secundam aciem, appositiue. i. quod cornu dextrum erat secunda acies: ferè in earũ legionum, scilicet mediæ aciei (de quibus modò dixerat) parte cohortiũ collocauerat. Præterea ex tyronũ legionibus paucas adiecerat. Tertiam aũt aciẽ in siniſtrũ suũ cornu contulerat.*) Quandoquidẽ non nisi tres principales aciei partes ab Aeliano (ut supra quoq; nonnihil attigimus) recensentur: nihil absurdi me adferre putauerim, si per tertiã aciẽ, mediã aciẽ partem intelligendam existimẽ. Etenim quũ ipse Hirtius modò dextrũ cornu secudã uocet aciẽ: dubio procul læuũ cornu prima uocabatur acies. Vt sit sensus, mediã aciem à Cæsare in siniſtrum cornu (in quo ipse uersabatur) reflexã. Quo aũt consilio id fecerit, Hirtius in textu exponit. *Aduersariorumq; excursionibus iter efficere nõ intermittit.*) Hoc est, efficiebat, ut aduersarij excurrere possent. Atq; ita Beroaldina, & Vuolffiana lectio habet: sed dubio procul quàm mendosissime. Non enim uerò consentaneum est

hoſteis à Cæſare ad pugnandũ prouocatos: quippe qui nuper inferior ex pugna equeſtri diſceſſerat. Nam quod modò eius equites frumentatũ miſsi Numidas, ac Getũlos aliquã multos de improuiſo occiderãt: reſpectu prioris pugnæ parũ momenti habebat. Aldinus autem, & Gryphianus codex pro efficere rectius officere, legit: Sed nec illa lectio mendo uacat: proiter nanq; interim legendũ cẽſuerim, ut ſit ſenſus: Cæſarem nõ intermiſiſſe hoſtium excurſionibus officere. Modò einm excurſionum hoſtiliũ meminit Hirtius. Legionis ſeptimæ, & octauæ.) ſuple Cæſaris commeatus ſui, id eſt, tranſportationis tertiæ ex Sicilia, de qua ante aliquot paginas in hoc eodem libro. De hac uoce & ſupra lib. 5. de bello Gallico annotauimus nonnihil.

Ex Cothone egreſſus.) Cothon hic nauium ſtationem ſignificare uidetur, quæ in anguſto maris ſinu erat: qualis in Cumenſi lacu circa caſtrum Lect (unde Myſitanus ille regulus, alter Viriatus ab Heluetijs non ita pridẽ eiectus eſt) uiſitur. Eiuſmodi nauium receptacula noſtrates μεταφορικῶς ollas uocant, hafen. Quemadmodũ enim olla liquoris, & carnium: ſic Cothon nauium receptaculum eſt. Et ſicut illa in ſummo anguſta, & in imo lata: ſic & Cothonis forma eſt. Quanquam ſi quis inferiorum Germanorũ dialectum conſideret, Vernacula uox hafen in iſto ſignificatu non ab olla hafen, (quæ illis top) ſed ab habendo, ſiue retinendo dicitur. Quod receptaculum ſuperioribus Germanis ein hab uocatur. Illi ergo b inf, ſeu β mutantes, haf, & mollius quidem quàm nos pronuntiant. Cuius ſanè rei Benedictus Vmſlerus Tigurinus homo naris non obeſæ, ſummáq; mihi neceſſitudine iunctus me commonefecit. Sĩ

quis

quis autem translationem uel ab olla uel à Cothone Spartanorum poculo sumptam esse putauerit: cũ illo nulla mihi pugna erit. Hesychio nanq; exponente, κώθων μόνωρ ποτήριον, κεραμεον εἰδος ποτηρίου &c. hoc est, poculũ uniusansæ, figulina poculi species est. Et P. Ligarius Afranianus.) Ligarium ideò Afranianum uocat, quod in Hispanijs sub Afranio, & Petreio meruerat. Quem ob periuriũ, perfidiamq; Cæsar iussit necari &c.) Ligarium ideò perfidum, ac periurum indubiè uocat, quod fidem, & iusiurandum uiolasset, quo se in Hispania obstrinxerat. Nam (ut Cæsar ipse lib. 1. de bello Ciuili memoriæ prodidit) Afraniani, & Petreiani milites ita dimissi erant, ut posthac à neutris partibus in bello Ciuili starent. Suam causam Cæsari probauerat.) id est, se sufficienter expurgauerat, quo autem pacto, in orationis contextu sequitur.

Est in Africa consuetudo incolarum &c.) Eadem cõsuetudo Italis (ut audio) rusticis, Africanorum consuetudo in recondendis frumentis & superioribus, & inferioribus Pannonijs iam est: ut hi non tantum frumentum, uerumetiam uina, & pretiosissimas quasq; res suas in subterraneis terræ meatibus condant: & adeò humilibus casulis super eos structis habitent, ut non admodum laborent, etiamsi incendio conflagrent. Si quando enim incendiũ earum forte fortuna fit, iocularibus illud dictis prosequuntur dicentes: aranearum telas tandem expurgatas esse. Eandem consuetudinem ueteribus Germanis fuisse Cornelius Tacitus in libello de illorũ moribus in hæc asserit uerba. Solent & subterraneos specus aperire, eosq; multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculũ frugibus:

quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt, & si quando hostis aduenit, aperta populatur, abdita autem, & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt quod quærenda sunt. Postero die Iuba Numidas eos, qui loco amisso.) Eos nimirum à Iuba in crucem actos innuit, quos supra in hoc libro à turma Hispanica ex collis præsidio, qui ad Ruspinam est, deturbatos legimus, & in fugam coniectos. Ipse castris incensis.) suple quæ propter Vzitam posita erant. Et peruenit ad oppidũ Agar.) De hoc oppido nihil apud Geographos inuenio. Nã quod Pli. & alij Agræ in Arabia sitæ meminerunt: nihil ad hunc locũ facit. Neq; enim hic de Arabico oppido ab Agaris D. Abrahami ancillæ, & concubinæ nomenclatura nominato, sed de Africano sermonem haberi contextus circumstantia satis ostendit. Statim nanq; subiungit, id à Getûlis diu, multumq; oppugnatũ. At illi non ita pridem (ut Hirtius paulo ante testatur) à Iuba defecerãt, & proxima quæq; ipsius loca inuaserant. Per iugum Cæsarem subsequi cœpit.) id haud dubie iugum innuit, quod ingens à mari propè Ruspinam ortum in campo planissimo ueluti theatri speciem efficiebat. In huius nanq; iugi colle quodam Scipionianum præsidium fuisse, & utriusq; partis castra non procul à iugo superius commemoratur. Iis legionibus.) suplendum, quæ frumentatum profectæ erant. Occurrere suppetias.) id est auxilio uenire. Quam loquendi formam ut infrequentem, & mutilam obseruabis. Deest enim, adferendum: aut simile quiddam. Ac iumenta sibi perirent.) Aldi, Gryphij, & Beroaldi exemplar siti, & meo iudicio rectius legunt quàm Vuolffianum. Cæsar contra eiusmo-

eiusmodi hostium genera.) Suple qui per insidias tantum modo, & tumultarijs pugnis cum ipso congrederentur.

Anxiũm exercitum nostrum, atq; solicitum habebat.) id est, reddebat. Quæ locutio Latinis perfrequens est, ut quum dicunt: hæc res me solicitum habet. Grauis armaturæ.) id est, grauibus armis induti Cæsareani uidelicet, simulatq;, id est, postquàm, ab his scilicet leuis armaturæ Numidis, insectatus.) hoc est, impetitus. Passiue nanq; hoc loco participium deponentale accipitur, sicuti apud uetustos plura alia uerba huiusmodi Elephantos in Italiam transportari iusserat.) Plinius lib. 8. naturalis historiæ cap. 6. tradit elephantes Pyrrhi regis Epirotarum bello primum in Italia uisos. Quæ pars eius corporis nuda.) Idem eodẽ lib. 1. ca. 7. docet, ex prælijs cum eodem Pyrrho cõmissis cognitum esse: elephantorũ promuscidem facillimè amputari posse. Largiter erat consecutus.) id est, uoti compos factus. Equitesq; in eos pila præpilata conijciebant.) Idem autor in præcitato loco cap. 6. refert, Elephantos à L. Pisone in circum Romæ ductos esse: atq; ut eorũ cõtemptus increscceret, ab operarijs hastas præpilatas tenentibus per totum actos circũ. Cæterũ præpilata pila (si Grapaldo credimus) hastæ sunt, quæ ferreas habent cuspides: aut quæ absq; ferro in mucronẽ ut sudes exacutæ sunt. Transfuga suos ciues.) Nimirũ V accenses, qui cũ rege Iuba militabant. At 12 Calendarũ Aprilis.) Hoc est, 21 die Martij. Processus à suis castris.) Processus aut participiũ præteritũ uerbi deponẽtalis à procedor est: aut mendũ in omnibus exemplaribus (quæ mihi saltem uidere contigit, est; & uice processus, progressus legendũ.

Signorum conſpectu perterritus.) *ſuple expeditorum Cæſaris militum.* *Atq; in antiqua caſtra copias reduxit.*) *ſuplendum quæ non procul ab Agare millia paſſuum ſex longe à Cæſaris caſtris poſuerat ita, ut diſpertitis copijs, trinis in caſtris conſederit.* *Aut commeatu dato.*) *id eſt iure commeandi, hoc eſt, proficiſcendi ad ſuos: quod & miſsionem Latini uocant. Ad hunc modum Liuius li. 1. ſecundi belli Punici in oratione Hannibalis ad Hiſpanos uſurpauit: ubi Hannibal ſic inquit. Itaq; quum longinqua à domo inſiet militia, incertumq; ſit, quãdo domos ueſtras, & quæcumq; ibi ſunt chara uiſuri ſitis: ſi quis ueſtrũ ſuos uiſere uult, commeatum do. Obſeruabis itaq; commeatus uocabulo tria ſignificari, miſsionem uulgò ein urlab, ſeu paſport: cibum publicum, quo milites in expeditione utuntur: & tranſportationẽ.* *Minutatimq; cædebant.*) *Sic Vuolffij exemplar cædebant cum diphthongo, Aldi uero, & Gryphij cum e ſimplici legitur. Beroaldus autem cædebantur & ni fallor rectius habet. Modò enim uerbum paſsiuum uulnerabantur etiam poſitum eſt.* *Cæſar alteram alam mittit, qui ſatagentibus.*) *Alam ſcilicet equitum, ſatagentibus, hoc eſt laborantibus, anxijs: & ut noſtrum uulgus loquitur, ſatis quod agerent habentibus.*

Stagnum ſalinarum.) *id eſt, foſſarum, in quibus ſal fit in maritimis locis. De quo lege Plinium lib. 31. cap. 7.*

Lunatis caſtris.) *id eſt, in lunæ formam poſitis, quemadmodum & lunati uocantur calcei. Sic & Virgilius peltas lunatas uocat, quod (ut Seruius exponit) in modũ Lunæ mediæ eſſent formatæ.* *A caſtris.*) *ſuple Iulianis, præſidioq;, quod ſupra memorauimus. In prima naq; pa-*

gellæ

gellæ istius facie ait, Vergilium Thapsensi præsidio à Scipione præfectum esse. Et animaduertit aciem pro uallo Scipionis, castris elephantisq; dextro, sinistroq; cornu collocatis.) Sic uulgata exemplaria habent, sed Beroaldina castigatio ad hunc modum: aciem pro uallo Scipionis contra elephantos dextro, sinistroq; cornu collocatã. Quarum lectionum posterior geminam ob causam mihi magis arridet. Primo quod absurdum esset, si quis castra in sinistro, aut dextero cornu locaret. Id quod tamen prior lectio præseferre uidetur. Deinde quod supra etiam in hoc libro legimus, aciem à Scipione ita instructam esse, ut ante eam triginta elephantos turritos constitueret. Quam sententiam & sequentia astruunt, si modò rectè cum distinguas, tum intelligas. Cæsar nanq; triplici Scipionis aciei, triplicem quoq; suam opposuit, decima uidelicet legione, secundaq; dextro: octaua, & nona sinistro suple Scipionis cornu oppositis, (Sic enim Beroaldus distinguit) quinq; legionibus in quarta acie ante ipsa cornua scilicet dextrum & sinistrum, suple Scipionis aciei oppositis: quinis cohortibus contra bestias collocatis, id est ita, ut quinæ cohortes ex singulis quinq; legionibus, elephantis opponerentur. Canere cœpit.) suple classicum. Contra principes ire contendit &c.) De legionum principibus superius (nisi me fallat memoria) annotauimus locũ ex Vegetij lib. 2. cap. 8.

Interim Thapso qui erant præsidio.) Redit ad Thapsensem Cæsaris obsidionem. Vmbilici fine.) id est, usq; ad finem umbilici. Significare enim uult Thapsensibus mare ingressis aquam ad umbilicum usq; pertigisse. Ducem aliquem requirunt &c.) Scipio enim (testante Appiano

lib.2.de bellis Ciuilibus) per mare duodecim cathaphractis nauibus aufugerat. Salutationem more militari faciunt.)id est, Facta salutatione, admonent aduersarios uicissitudinis rerum humanarũ: quippe quod ea calamitas, qua ipsi tunc premebantur, alijs quoq; accidere posset. Ideoq; quemadmodũ secũ in simili casu agi uellent, idem cum ipsis nunc agant: atq; ultrò ipsos armis abiectis in deditionem accipiant. Nanq; milites Veterani ira, & dolore incensi &c.)Veteranorũ isthæc siue inclementia, siue crudelitas inde orta est, quod Scipio ante commilitones ipsorum crudeliter necauerat. Quum enim ex secundo Cæsaris commeatu duæ naues forte fortuna in Scipionianos duces incidissent, militesq; Veterani in illis uecti ad Scipionem deducti essent: ad unum omnes ab eodem interfecti sunt, eo quod Cæsari imperatori suo fidem datam seruantes, in illius uerba iurare nollent. Porrò quod in textu sequitur, tantum abfuisse, ut Cæsareani Scipionianis parcerent, uti etiam urbanos quosdam de suo exercitu, quos autores appellabant, interfecerint, hunc habet sensum: eos etiam in Iuliano exercitu in capitis discrimen coniectos, qui alijs autores erant, ut Scipioniani in deditionem acciperentur, eisq; parceretur. Quod si iuxta Beroaldinum codicem legas actores, in eundem sensum cum superiore exponi potest. Actores enim inter alia significata, ij quoq; dicuntur, qui aliorum causas agunt, eosq; defendunt.

Cæsar trinis castris potitus.)id est, tripertis: nempe Scipionis, Iubæ, & Labieni castris. Re diuina facta.)id est, quum Dijs suis sacrificasset, & ut Papistici loquuntur sacrifici, quum missasset.

Legis

Legis Iuliæ.) *Iulius Cæsar multas leges tulit, at Hirtius de ea nimirum hic loquitur, qua cautum erat: ut liberis populis libertas non aufferreretur. De qua consule M. Ciceronem in 3 8 oratione, quam in L. Pisonem habuit.*

Quum ergo & Vticenses suam, hoc est, ciuium Romanorum libertatem Cæsaris beneficio retinuissent: ad illius partes eo facilius declinabant. *Eorum castra L. equites.*) *supleto Scipioniani è fuga (ut modo dixit) Vticam delati* *Singulis centum.*) *scilicet numorum diuisit.* *Idem Sylla Faustus fecit &c.*) *Sylla Faustus (ut Cæsar supra lib. 1. bellorum Ciuilium testatur) inter belli initia ex senatusconsulto in Mauritaniam missus erat* *Atq; in regnum iter contendit.*) *Beroaldus legit, atq; in regnum Iubæ tendit. Quæ lectio uel ob hoc mihi magis probatur, quod in iam citato Cæsaris libro, & loco, statim superioribus annectitur: nempe quod ad eundem senatum extra urbem coactum relatum sit de rege Iuba, ut populi Romani socius esset, atq; amicus.*

Vnà cum trecentis, qui pecuniam Scipioni &c.) *Ex Plutarchi Catone minore constat trecentos illos Romanos ciues fuisse, ac Vticæ negociatos esse: eosque Catoni adeò familiares, ut de rebus grauibus deliberaturus, eosdem in consilium adhiberet.*

Et sine suspitione, uultu, atque sermone &c.) *Quo uultu Cato apparuerit, & quem sermonem ante obitum suum habuerit: item quo pacto sibi mortem consciuerit cum Plutarchus, tum Appianus Alexandrinus luculenter describunt. Et quia ad hæc Hirtij uerba intelligenda non parum faciunt, idcirco illius (utpote*

breuius totum negotium complectentis) huc transcribere uisum est. Circa uesperam, inquit, à balneo ad cœnam transijt. Discumbens porrò conuiuatus est eo more, quo à Pompeij nece consueuerat, nihil solitæ conuersationis omittens: neq; plura, aut pautiora conuiuio inferens. Cum astantibus etiam de his, qui enauigauerant, sermonem protulit, rogans an prospero uterentur uento. Postremo in cubiculum delatus, cæteros omneis, filio excepto, à se dimisit: quem solito arctius complexus est. Posthæc ensem lecto assidere solitum minime intuens, exclamare cœpit: se hostibus ab domesticis inermem prodi. Amicis autem illum adhortantibus, & se nihil in eum machinari profitentibus, uerum ut sine ense quiescere uellet suadentibus, apertius hæc inquit: non mihi mori cupienti, ense opus est, facilime quidem uel ueste spiritum licet opprimere, uel caput parieti ultrò impingere, uel in collum præcipitare me ipsum, ut peream, uel retento spiritu obire mortem. Multáq; alia elocutus, ut ensem perferrent, exorauit. Quo allato, Platonis librum, qui de anima inscribitur, ab illis poscens, legere perseuerauit. Cum à lectione desijsset, qui portis præsidebant, quieti indulgere monuit. Ipse autem se sub pectore impresso ense uulnerauit. Effluentibus itaq; uisceribus, cum strepitus insecutus esset, qui ad portas morabantur subitò accurrũt. Medici quoq; adhuc uiscera illæsa reducere, & uulnus colligare tentabant. Ille reassumpto spiritu, dissimulare iterum, ac seipsum increpãs, quod minus altè uulnus impressisset, gratias illis ueluti salutis suæ autoribus ultrò reddere, demum se quiete indigere dixit. Illi arrepto ense discessêre, & quasi quieturo præcluserunt portas. Cato dormientis

mientis similitudine prælata obligationes uulneris silens ipse manibus diripuit ambabus, & futuras corporis perfregit feræ in modum. Vulnus præterea & uentrem unguibus, digitisq; lacerauit, uiscerāq; diſiecit: quoad tandem extinctus est, annum iam quinquagesimum ætatis agens.

Messala ut erat imperatum &c.) Hirtius paulò superius meminit, M. Messalam à Cæsare Vticam esse præmissum.

Bonorum uenditionem indicturum.) id est, se denuntiaturum, quando bona ipsorum uenditurus esset: sicuti indicimus bellum, comitia, & iustitium. *Vtrobiq;.)* suplendum, & Vticæ, & Zamæ. *C. interim Virgilius.)* scilicet qui Thapsensi præsidio præfectus erat. *Saburam.)* scilicet regis Iubæ præfectum, ut supra habuimus, & statim sequitur. *In Faustum.)* suple Syllam, quem paulo ante Hirtius in Mauritaniam ex Vtica profectum scribit.

Qua Vticam diripuerant &c.) Quinquaginta indubie equites innuit, qui & Vticensium castra extra oppidū posita oppugnauerant, & deinde etiam oppidanorū bona diripuerant. *Hipponem regium deferuntur.)* suple oppidum minoris Africæ, de quo Mela lib. 1. Quod sanè uel hinc maximè nobilitatum est, quod D. Aurelium Augustinum inter ecclesiasticos Latinorum doctores facile principem pastorem, ac episcopum integerrimum, doctissimumq; habuit. *Triginta centenis millibus ponderis olei &c.)* Hinc illud Plutarchi in Cæsaris uita, quod tantum agri ab eo in ditionem subactum sit, ut annuo prouentu percepturus esset fiscus tritici quidem ducenta millia modiûm Atticorum: olei uerò pondo tricies cētena millia. *Caraleis.)* scilicet oppidum, de quo Strabo lib. 5. Cæterum

si Melæ

ſi Melæ, & Plinij lectio mendis uacat, pro Caroleïs, Calaris legendum eſt. Ille naq; li. 2. urbium in Sardinia, inquit, antiquiſsimæ ſunt Calaris, & Sulchi: hic uero libro tertio cap. 7. Calaritanos, & Sulchitanos populos eiuſdem inſulæ uocat. Et ante diem tertium calendarum Quintilis.) Hoc eſt, 29 Iunij.

Ad urbem Romã uenit.) Plutarchus in Iulij uita aſſerit eum, de Alexandrinis, Pharnace, & rege Iuba triumphaſſe poſtquàm ex Africa domum redierat.

IN AVLI HIRTII AVT OPII LIBRVM VI. DE BELLO HISPANIENSI ARgumentum Ioannis Rhellicani.

Libri iſtius ſumma in tribus conſiſtit. Primum belli Hiſpanienſis occaſio deſcribitur. Dein prælium ad Mundam, in quo Pompeiani inferiores facti ſunt. Poſtremò quum Corduba, & Hiſpalis à Cæſare eſſent captæ, quo pacto Sextus Pompeius hinc inde fugiens tandem in ſpelunca quadã latitans interfectus ſit. Porrò quia de libri iſtius autore cum ueteres tum recentiores dubitant: ego quæſtionis nodum ita enodandum cenſuerim. Primum quando Suetonius Tranquillus in Cæſaris uita inquit, belli Alexandrini, Africani, & Hiſpanienſis incertum autorem eſſe ac non

ac non tantum Aldi, sed omnium eruditorum, qui Sextum hunc librum perlegerunt calculo, ultimi libri stilus à reliquis δῖς διὰ πασῶν distat: quid si dicamus, Hirtiũ quarti, & quinti de bello Ciuili historiam scripsisse, & sexti ab Oppio descriptam? Tametsi nanq; Hirtius in octaui libri de bello Gal. præfatiuncula meminerit, se ab rebus gestis Alexandriæ usq; ad finem uitæ Cæsaris historiam persecutum: tamen quia posteriores libri de uitæ exitu desiderantur, uero simile est, & illum sextum Hirtij librum de rebus Hispanicis iniuria temporis interijsse, aut quod uero magis consentaneum est, nusquàm esse scriptum, eumq; ab Oppio qualicunq; dicendi genere seu de nouo compositum seu amissum esse restitutum. Etenim quando C. Oppius Cæsaris in bello Africano legatus fuit, ab eoq; (ut in superiori libro legimus) Zettensi præsidio præfectus est: apparet eum nominis Iuliani, & laudum eius promouendarum æque studiosum fuisse, ut Hirtius. À qua sententia nec Volaterranus longe abesse uidetur. Quum enim in libris suis περὶ τῆς ἀντρωποποιίας inscriptis Gn. Oppij tribuni plebis, & Q. Oppij Asiæ proconsulis meminisset, lib. 17. inquit, C. Oppium uerum Iulij Cæsaris amicissimum fuisse, ab eoq; commentarium de bello Hispaniensi scriptum. At dixerit aliquis, probabile non esse, quenquàm aut Iulij, aut Octauiani Cæsaris seculo tanta barbarie usum, quanta in hoc commentario deprehenditur. Cui respondeam, Oppio illi in Latinè scribendo idem accidere potuisse, quod multis alijs in sua uernacula cõtingit. Qui enim ab adulescentia se in commentando, & stilo exercendo in quacunque tandem lingua non exercuerunt:

dum

dum id in matura iam ætate tentant, præter unum, eundemq; sermonis colorem, innumeros barbarismos, & solœcismos cõmittunt, orationemq; crebris hyperbatis, κὴ ἀναπεπλόκοις obscurant, & hiul cam reddunt. Id quod huic autori (quippe magis exercitato in militia quàm in foro, & historia scribenda) usu uenisse in aliquot infra locis indicabimus.

EIVSDEM IO. RHELLI CANI IN EVNDEM LIBRVM DE BELLO HISPANIENSI Annotationes.

CVM Cæsar muneribus dandis in Italia detinetur.) Quibus Cæsar munera dederit, ac quæ spectacula post uarios triumphos Romæ ædiderit: Cum Plutarchus, tum Appianus declarant. Quorum ille in Cæsaris uita sic inquit. Post triumphos ingentia militibus donaria dedit. Ad concilien-

dum sibi plebem spectacula ædidit, conuiuiaq; celebrauit: uno die in duobus, ac uiginti millibus triclinijs epulũ præbens uniuersis. Hic uerò lib. 2. bel. Ciuilium ad hunc modum. Militi drachmas quinq; mille Atticas, turmæ ductoribus totidem: tribunis militum, equitibusq; in duplo maius. Adhæc singulis ex populo minã unam Atticam. Spectacula quoq; multifariam ædidit equorum, & musici, pedestrisq;

deſtriśq; certaminis: uirorũ mille ad totidem certantium, & equeſtres pugnas ducentorũ pariter: & aliud ex peditibus, equiśq; præludium ſubinde immiſcens, elephantorum uiginti bellum utrinq; locatorum. Naualem præterea pugnam remigum quater millium: mille bellatoribus utraq; ex parte inſidentibus. Hæc illi. Vnde apparet, quibuſnam artibus, & cuniculis homines ambitioſi remp. circumueniant ac ſuffodiant: nimirum ut primum omnium plebis animos muneribus, & ſpectaculis ſibi deuinciant, ac deinde oppreſſa libertate, eis medium oſtendant digitũ. Quod tandem à Cæſare quoq; factũ eſſe, ſupra in eius uita oſtendimus. Aliqua ei inferebatur cauſa.) *id eſt, alicuius criminis accuſabatur, græca dicendi forma. Græci nanq; dicunt,* ἐπιφέρειν τὴν αἰτίαν, *id eſt, intentare crimen. Latronum largitio fieret.) id eſt, ut latronibus ſuis inde ſatisfaceret Cn. Pompeius quorum opera adiutus (ut modò autor meminit) prouintiam Hiſpanicam uaſtabat.* Ita paucis commodis hoſte hortato. *id eſt, latronibus reip. Romanæ hoſtibus lucri ſpe allectis. Atq; hæc prima barbariſmi ſpecies eſt, qua autor iſte utitur. Deponẽtali nanq; participio pro paſſiuo abuſus eſt, ueterum tamen more.*

C. Cæſar dictator tertiò, deſignatus quartò.) *Plutarchus ait, Cæſarem quartò conſulem, non dictatorem deſignatum in Hiſpaniam contra Pompeij liberos profectum.*

Prouintia.) *ſuplendum ulterioris Hiſpaniæ, quæ eadem & à fluuio Bethi Bethica uocatur: cuius metropolis Corduba (ut autor iſte infra ſcribit) erat. Qua de re ſupra li. i bellorum Ciuiliũ plura ſi quis uolet, legere poteſt. Ibi enim totius Hiſpaniæ diuiſionem ex Plinij ſententia annotaui-*

mus: & ex textu inibi patet, ulteriorem Hispaniam Pompeij partibus fauisse. Qui certiorem Cn. Pompeium arcerent. Et hæc ταυτολογία satis indicat, scriptorem istũ parum exercitatũ in scribendo fuisse. Quũ enim relatiua pronomina in hoc reperta sint, ut eandem rem modò dictã sine ambiguitate, & fastidio referant: ille Battologum magis quàm Brachylogum agere uoluit. Ex prouintia.) suple citerioris Hispaniæ, quam Cæsar supra lib. 1. bellorum Ciuilium ab ipso stetisse cõmemorat. Clam præsidia.) Sic Aldus, & Vuolffius legunt: Gryphius autem clam præsidio, & Beroaldus legati clam præter præsidia. Et priorum quidem duorum lectio uitiosa est, posteriorum uero tametsi utraq; ferri queat: tamen huius lectionem illi ob hoc anteposuerim, quod uideã in Aldinis, & Vuolffianis exẽplaribus lectionis germanæ uestigia adhuc superesse, ita ut non nisi præpositio præter omissa sit. Illa enim si addatur, clam non præpositio, sed aduerbiũ est, & constructio grammatica belle habet. Sextus Pompeius frater.) scilicet Cneo iunior, autore Appiano lib. 2. bellorum Ciuilium. Ad equitatum concidendum cum exisset.) id est, quum putaret multitudo ex oppido egressa sibi cũ equitibus solummodo rem fore. Ad Cordubam.) Et hic parum latine præpositionem nomini loci minoris autor noster adiunxit. Cæsar quum ad flumen Betim &c.) Hic fluuius (ut supra quoq; nonnihil annotauimus) toti prouintiæ nomen dedit, & Hispanice nunc Guadachibir uocatur. Tenebant aduersus oppidum è regione pontis trabes.) aduersus oppidũ suple Cordubam, quæ nõ longe à Beti fluuio sita est, ut in secunda Europæ tabula cernere

rere licet. Cæterũ quia ambiguũ est, utrum trabes accusan di, an nominandi casus sit: oratio quoq; ambigua redditur. Nescias enim an castra tenuerint trabes, an trabes castra. Constructionem ergo impeditam, huiusmodi coniectura expedire tentabimus, ut quum modò dixerit autor, Cæsaris copias tripartitò ad castra per pontem traductas esse, in uerbo tenebant, subaudiendum sit castra, & sit sensus: castra Cæsaris tenebant, hoc est, pertingebant trabes è regione pontis aduersus oppidum. Siquidem & Cæsar supra libro primo de bellis Gallicis non dissimili forma loquendi utitur (nisi quod hic simplex, illic uerò compositum uerbum ponitur) quando ait: pontem ex Genéua oppido ad Heluetios pertinuisse, hoc est, pertigisse. Quod autem sibi cum hoc uelit, quod addit: ut supra scripsimus, bipartitò, ingenuè fateor me ignorare. Nusquam enim neq; hoc, neq; in alijs libris (quantũ ego memini) huius traiectionis, & castrametationis recordatur. Nisi forte pro bipertitò, tripertitò legendum sit, & supra aduerbio usus sit autor pro modò. Atq; hanc expositionẽ quæ sequuntur non friuolam esse comprobant, quando ait pari ratione à Pompeio cis Betim castra esse fixa. Sed tumulos tumulis exequabant.) id est, quantum aceruum & stragem cæsorum unus faciebat exercitus, tantum & alter. Circumcludunt Cæsaris equites.) Et hic ambiguum est, utrum Pompeiani Cæsaris equites circluserint, & cõciderint: an Cæsareani equites Pompeianos. At cum præcedentia tum subsequentia magis arguunt Pompeianos à Cæsareanis cõcisos esse. Modo enim ait, aliquot castella in hoc à Cæsare occupata, ut Pompeij aduentũ, & insultũ reprimeret:

& mox ſubiungitur, poſt cædem illam, Pompeiũ in ſequenti nocte trans flumen Salſum fugiſſe. Quod minime facturus fuerat indubie, ſi qualicunq; victoria ad Ateguam potitus eſſet. Propter terræ fœcunditatem inopem &c.) Ante inopem comma ponendum eſt, non poſt, ut Vzolffianum, & Gryphianum exemplar diſtinguit. Grummus eſt excellens natura.) Grũmus, expoſitore Nonio Marcello, agger à cõgerie dicitur. Accius Enomao, Quemcunq; inſtiteram grummum, aut præciſum iugum. Is ſignæ Saguntinorum retulit quinq;.) Saguntini à Sagunto Hiſpaniæ citerioris oppido dicuntur, ut apud Plinium lib. 3. ca. 3. patet. De quorũ indubitata erga Romanos cõfœderatos ſuos uide Liuium, conſulito li. 1. ſecundi belli Punici: & prouerbium apud Eraſmum, Saguntina fames.

Rex nomine Indo &c.) Plutarchus in uita Alexandri Magni tradit, Cæſarem Athenis comitem quendam habuiſſe nomine Indum. In oppido acerrimè pugnatum eſt.) Ateguam haud dubie intelligit. Hanc enim ſupra munitionibus, & brachijs à Cæſare circumdatam: aggeres, uineaſq; ab eodem actas eſſe legimus ad oppidũ oppugnandum. Quibus ignis per iactus ſolitus eſt mitti.) Vt ſcilicet in cupis pice, ac ſeuo completis: quemadmodum ſupra lib. 8. de bello Gallico legitur. Pari conſuetudine uigilia ſecunda &c.) Redit ad Ateguæ oppugnationem, ac propugnationem. Quiq; præſidij cauſa præpoſiti oppido à Pompeio orabant.) ſuplendum, ut Cæſaris pace liceret cũ ſuis impune decedere. Statim nãq; ſequitur, à Cæſare reſponſum: victoris eſſe conditiones dare victis nõ ab eis accipere. Hoſpites, qui in oppido erant.) ſcilicet

Ategua

Ategua. Sic enim Sabellicus intellexit, eum'q; non falsum esse cum sequentia tum præcedentia accuratè perpensa declarant. Quum bene magnam partem muri.) scilicet munitionum Cæsareanarum consumpsissent. Siquidem murus (teste Lau. Vall.) non tantum lapideus urbis ambitus est sed urbis quoq; similium, ut munitionum, castrorum'q;. Præterea argentum, & uestimenta.) scilicet extulerunt. Hoc enim uerbum ex superioribus repetendum est. Nam quod existimabat eos posse conatum efficere.) Existimabat scilicet tabellarius, de quo iam dixit.

Eos.) suple milites, cum quibus in Pompeij castra perrupturus erat. Oppido repressérunt.) id est in oppidum, ut sit septimus casus iuxta Seruij expositionem in illo Vergilij carmine: Inferretq; Deos Latio. Et hominem.) scilicet C. Antonium. Apprehendit.) suple Tiberius Tullius. Refugerunt ad Cæsarem.) scilicet Tullius, & Cato Lusitanus. Et qui uitam sibi peteret.) scilicet aliquis ex tabellarijs deprehensis. Ita facturus de ligno.) id est, lignea turri, uti modo præcessit, ut sit μετωνυμία materia pro materiato. Turris lignea, quæ nostra fuisset ab imo uitium fecit.) id est, ruinam minata est, seu hostili incendio corruit. Sic enim Boœtius philosophus, & orator Christianus cum pius, tum disertus illud Ciceronis exemplum in Topicis ex iure Ciuili sumptum: Si ædes exesæ corruerint, uitiumúe fecerũt &c.) interpretatur. Vnde mirari haud immeritò quispiam posset, quonam pacto tam elegans Iureconsultorum dicendi forma putido illi scriptori in mentem uenerit. Reliquos in oppidum iussit deduci.) In oppidũ scilicet. Vbi cubim. Modò

nanq; dixit, castra à Pompeio Vcubim mota esse, ac deinde Vcubensibus conuocatis, ab eodem edictum, ut diligentia adhibita expiscarentur: quinam suis, & qui hostiũ partibus studerent. Qui quum ad oppidum uenissent.) scilicet Ateguam, id quod ex præcedentibus, & consequentibus colligi potest. Oppidanorũ bona uendere.) suple eum, qui legatos Cæsareanos iugulauerat. Profugere in Bethuriam.) Pli. li. 3. naturalis historiæ ca. 1. Beturiam in duas partes, totidémq; genteis diuidit: Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis conuentus: & Turdulos, qui Lusitaniam, & Terraconensem accolunt. Nostri cessêre parumper.) μείωσις est, profugam dederunt. Hic fertur Achillis, Memnonisq; cong.) Quo pacto Achilles cũ Memnone congressus sit, nusquam me legisse fateor. At quantũ ex Cœlio conjectare licet, hoc prouerbium ex antiqua Ennij tragœdia citatum est. Li. enim 14 lectionum antiquarũ cap. 18. ait se ex Pompeij Festi fragmentis collegisse, quandã Ennij Tragœdiam fuisse, cui titulus Achilles Aristarchi. Vnde (quantũ ex huius quoq; cõtextus Oppiani circumstantia deprehendi potest) non diuersum ab eo adagio esse uidetur, quod Erasmus ex Virgilio, & D. Hieronymo annotauit: nempe Dares contra Entellũ. Dũ enim Turpionem uiribus corporis fidentem, & quemlibet prouocantẽ Oppius tradit: necessũ est, ab Ennio, aut alio quocunq; tandẽ poẽta, Achillẽ contra Memnonem introduci, sicuti, à Marone Dares aduersus Entellum. Quamuis autem Achilles ποδὰς ὠκὺς ab Homero, hoc est uiribus præstans fingatur: nihilominus tamen Memnone inferior putandus est. Quippe de cuius fortitudine passim tam

multa

multa prisci fermè omnes commententur. Qua de re consulto eundem Cœlium li. antiquarum lectionum 12. ca. 4.

Equites Romani hastenses.) Et Sabellicus, & Beroaldus Astenses absq; aspiratione legunt: & si quid ego iudicare possim, melius. Siquidem Pomponius Mela lib. 3. Astam procul à littore disitam coloniam in Hispania ponit. Quod huc maximè quadrat. Quippe quũ & Oppius eos hic Romanos equites uocet, & paulo inferius equitum Ro. ex Hispaniensibus coloniis, & oppidi Astæ meminerit. Nostrisq; adhuc freti præsidijs.) Vt Ateguæ, unde Pompeianum præsidium deiectum est à Iulianis.

Bellum ducunt.) id est, producunt, quæ ἀφαίρεσις perquàm familiaris est Liuio, & alijs historicis. Equites.) Indubie Cæsareani. Serui.) suple Pompeiani transfugerunt scilicet ad Cæsarem. Vexillum proposuit.) Hoc est, pugnæ signum dedit. Etenim (sicuti ex superioribus de bello Gallico libris, & ex Plutarcho discimus) quoties Cæsar pugnam indepturus erat, rubro proposito uexillo suis pugnam denuntiabat.

Idcirco enim copias eduxerat, quod Versaonensium ciuitati fuissent factores.) Eandem ciuitatem nunc Versaonem appellare uidetur: quam paulò superius Saonem uocat. Idq; ex eo collegi, quod mox subiungit, Fausto (sic enim Beroaldus legit) antea literas esse missas, in quibus continebatur: Cæsarem nolle in conuallem descendere. Apparet autem Faustum illum (ad quem Pompeius hæc scripserat) Saoni præfuisse: etiamsi hoc in superioribus literis non deprehendatur. Quum ergo Cæsarem audiuisset in campestria se contulisse, Pompeius

æquum dimicandi cum eo locum nactus: ea, quæ Saonen-sibus pollicitus erat, præstare uoluit, dum copias in aciem eduxit. Etenim & natura loci defendebatur.) ſuple Pompeius. Et ipſius oppidi.) ſcilicet Mundæ. Vt ſuperius demonſtrauimus.) Ab exordio fermè iſtius libri Oppius narrat, ulterioris Hiſpaniæ regionem, propter ædita loca, & ad caſtrorum munitiones non parum idonea, difficilem oppugnatu eſſe. Nonnulli etiam timere.) Apparet hiſtoricũ illum hiſtoriæ Cæſareanæ de hoc prælio Mundenſi aut non peritum fuiſſe: aut maligne eam, infideliterq; ne dicam inſulsè literis mandaſſe. Plutarchus nanq;, & Appianus tantum terrorem exercitui incuſſum eſſe ſcribunt, ut pugna etiam incepta, eis excuti nequiret: donec Cæſar militis cuiuſdã clypeo arrepto, duces circumſidentes in hunc modũ affatus eſt. Erit hic mihi uitæ finis, uobis aũt rei militaris dies ultima. Cauſam autem tanti timoris multitudinem, experientiam, deſperationemq; hoſtiũ fuiſſe perhibent. Quo fit ut non pauci (ut Oppius hic ait) ſed magna exercitus pars adeò perculſa fuerit, ut Cæſar poſt pugnam ad familiares ſuos cõuerſus dixerit: ſæpenumero pro uictoria, nunc autem primum pro uita dimicaui. Eum locum definire cœpit.) nimirum ut militees ipſius noſſent quatenus progrediendum eſſet, dum hoſtem inſequerentur. Vt magno tamen periculo acceſſus eorum haberetur.) id eſt, ut tamen non ſine magno Cæſareanorum periculo aditus pateret. Hic decumani.) Hoc eſt, milites decimæ legionis, quam Cæſar (ut in bellis Gallicis uidere eſt) maximo ſemper amore proſecutus eſt. Quibus oppidũ fuit ſubſidio.) Mundam innuit. Supra enim

enim ait Pompeij castra huic oppido propinqua fuisse.

Ita ipsis liberalibus.)id est,ijs,qui liberaliter,ingenue, ac fortiter pugnantes occubuerant. Quum oppidum Mundam sibi constituissent præsidium.) Appianus refert Pompeianos fugientes Cordubã se recepisse:eamq; à Cæsareanis tandem expugnatam esse. Atq; quominus eius uariationem miremur: antea tradit, pugnam illam non procul à Corduba esse factam. Cæsar ex prælio munitione circundata.)suplendum Mundæ oppido:quod modo hostium cadaueribus,pilis,& scutis loco cespitum à Cæsareanis circumuallatum esse dixit. Cæsar flumen traiecit.)Betim haud dubie,supra nanq; ex secũda Europæ tabula Ptolemaica diximus,Cordubam nõ longe à Beti dissitam. Scapula totius seditionis &c.) Appianus Scapulam unum ex Pompeij ducibus fuisse tradit. Ipse de tempore cænauit.) Et hic autoris barbaries elucet, quando inquit,de tempore,pro in tempore. Vinum,& nardum identidem sibi infundit.)Beroaldus uinum, resinam,& nardum legit.Ne cui autem mirum uideatur resinam Romanis olim in delitijs fuisse,Plinius lib.14.naturalis historiæ autor est:uina asperiora in aliqua Italiæ parte rabulana,pice, ac resina mitigata esse. Porrò per nardum uel unguentum nardinum,uel factitiũ uinum ex nardo intelligere possumus. De quo uideto eundem Plinium.

Quos circummunitos superius demonstrauimus,Mundense præsidium innuit.Supra enim ait eos, qui ex prælio effugerant,se Mundam recepisse:eamq; dein à Cæsare circumuallatam. Erat bene magnum intra Pompeianas partes.) Apparet locutionem istam alioquin non illepidam

pidam aut plus satis autori huic arrisisse: aut cum præ nimia uerborum inopia nequiuisse alia ad uitandam ὁμοιοτελείαν uti. Nunc enim decies & infra aliquoties illã usurpauit, & quod maiorem nauseam facit, aliquoties in duabus periodis perpusillo spatio inter se distantibus: ut hic luce clarius cernitur. Clam cuidam Philoni in &c.) Beroaldus aliter ad hunc legit modum, clamerga quendam Philonem illum: sed (nisi totus fallor) utraq; lectio uitiosa est. Si nanq; priorem sequamur, constructio grammatica parum obseruata est. Clam enim non cum Dandi sed auferendi casu construitur. Sin posteriorem, æque inepta fermè uestrorum structura, & oratio imperfecta est. Quo circa illam sic emendauerim, clam quidam Philone illo. Nam quidem etiam pro quodam secundum Donati grammaticã dicitur. Hanc uerò (quam etiam magis probo) ad hunc modũ: clam ergo Philonem illum, suplendum præsidiũ Pom. amandat, ut clam adverbialiter ponatur. Hic clam præsidio.) suple Cæsareano. Lusitaniam proficiscitur, Beroaldinus codex, præpositionẽ in additam habet. Quod Pompeium in potestate haberent.) Cnæum innuit Pompeium. Supra nanq; refert. Oppius, Cnæum cum equitibus paucis, nõnullisq; peditibus ad nauale præsidium Carteiam contendisse. Saucius Pompeius.) suple Cnæus. Appianus nanq; scribit illum à Cartheis lectica ablatum esse. Pompeius humero, & sinistro crure uehementer erat saucius.) De eodem adhuc loquitur Cnæo. Cæterum quo maior lux obscuræ huic descriptioni addatur, dilucidiora Appiani uerba de illo sautiato huc adscribam. Cum autem, inquit, & eos, qui ipsum in le-

in lectica portabant desperantes intueretur, ueritus ne ab illis traderetur hostibus, fuga denuò inita scapham ingressus est: pede casu à funibus implicito, dum funem gladio secare nititur, pedis plantam gladio abscidit &c. Vnde iam facile etiam Vuolffianæ æditionis mendum tolli potest, quæ pro talum, telum intorsisset, legit. Nam quemadmodum & Sabellicus interpretatur, nihil aliud Oppius significare uult, quàm pedem Pompeij luxatum esse.

Lusitanus more militari.) Hoc est, quum Pompeius Lusitani militis habitu à Iuliano præsidio conspectus esset.

Excusa munitione, amissisq; auxilijs &c.) Et hunc locum, Appiani uerba planiorem facere possunt: quæ sic habent. Quum denuò quæreretur ab hostibus, per iter profundum, dumisq; obsitum, fuga elabitur: sentibus uulnus stimulantibus, sub arbore tandem fessus, constitit. Deprehensus itaq; ab his, qui illum inquirebant, non ignaue se protegens interfectus est. Pridie Iduum Aprilis caput.) scilicet Cnæi Pompeij allatum suple à Didio ut Plutarchus scribit. Vt autem Appianus addit, Cæsar illius caput ad se perlatum humandum curauit. Interfecto Cnæo Pompeio adolescente.) suplendum maiore natu ut supra ex Appiano citauimus. Nam (eodem autore) eius frater aduleſcentior fugæ reliquias in unum cõgregabat: & ipse Pompeius appellabatur Sextus prænomine, uerum idem latitans, & fugiens prædabatur. Lusitani qui ex ptugna.) suple tumultuaria ad Hispalim commissa superfuerunt. Erant parati.) scilicet Lusitani.

Incensisq; qui subsidium repeterent.) id est, qui se in subsidium suum reciperent.

Acde-

Ac deinde Vrſaonem proficiſcuntur.) Idem oppidum eſſe uidetur, quod autor ſupra cum Saonem, tum Verſaonem, & Plinius Verſonē appellat. Nam & iſthic exemplaria quædam pro Verſo Vrſo habēt. Ponitur autem in Hiſpania Betica. Commemorat initio quæſturæ ſuæ.) Oratio hæc expoſtulatorij generis eſt. Primum nanq; ingentia beneficia non ſolum in Hiſpalenſeis, uerumetiam totam ulterioris Hiſpaniæ prouintiam Cæſar commemorat: ac deinde eorundem maleficia uiciſsim recenſet, atq; immanem ingratitudinem eis exprobrat. Cæterum quod Oppius Quæſturæ, ac Prætura eiuſdem apud Iberos geſtæ mentionem eſſe factam tradit, non friuolum, & commentitium eſt. Siquidem Plutarchus in illius uita recenſet, Cæſarem Quæſtorem cum Tuberone prætore in Iberiam profectum eſſe: & poſtea ipſum quoq; inibi prætura geſsiſſe. Multis legibus abs ſe in ſenatum inductis.) Beroaldina repaſtinatio legationibus (& ni fallor) rectius habet. Quanquàm enim multæ leges à Iulio latæ ſint: melius tamen, & cōuenientius dicitur legationes in ſenatum introductas, & earum cauſas à Cæſare ſuſceptas eſſe. Tales nanq; leges non ad ſenatum tantum, ſed etiam ad populum ferebantur. Vos iure gentium, & ciuium Rhomanorum inſtitutis cognitis &c.) Quoniam hic locus cum in Vuolffianis tum Aldinis, & Gryphianis exēplaribus depraua tiſsimus eſt: idcirco hiſtoriæ iſtius ſtudioſis haud ingratum fore arbitror, ſi eum ex Beroaldi caſtigatione rectiorem fecero. Sic ergo ea, quæ modò adduxit continuanda ſunt, more barbarorum populi Romani magiſtratibus ſacroſanctis uim ſemel, & ſæpius attuliſtis &c. Quando autem

autem luce clara Ro. magiſtratum ab eis internitioni de-
ſtinatum dicit: haud dubie illam taxat perfidiam, quæ à
Pompeiano præſidio orta, eò euaſit, ut Luſitanis Hiſpalim
Philonis opera receptis, magna clades à Cæſareano præſi-
dio accepta ſit. Quanquàm id non interdiu, ſed noctu
factum eſſe ſuperior Oppij deſcriptio oſtendat.

Quarum laudibus, ac uirtute.) Nemo non uidet orationem illam, & totũ librum mutilum eſſe. Neq; enim illa perfecta eſt, neq; hic ut decebat finitur.

FINIS.

BASILEAE PER HIERONY-
MVM CVRIONEM MEN-
SE FEB. ANNO
M. D. XLIII.

autem luce clara Ro. magiſtratum ab eis internitioni de-
ſtinatum dicit: haud dubie illam taxat perfidiam, quæ à
Pompeiano præſidio orta, eò euaſit, ut Luſitanis Hiſpalim
Philonis opera receptis, magna clades à Cæſareano præſi-
dio accepta ſit. Quanquàm id non interdiu, ſed noctu
factum eſſe ſuperior Oppij deſcriptio oſtendat.

Quarum laudibus, ac uirtute.) Nemo non
uidet orationem illam, & totũ librum
mutilum eſſe. Neq; enim illa per-

autem luce clara Ro. magiſtratum ab eis internitioni de-
ſtinatum dicit: haud dubie illam taxat perfidiam, quæ à
Pompeiano præſidio orta, eò euaſit, ut Luſitanis Hiſpalim
Philonis opera receptis, magna clades à Cæſareano præſi-
dio accepta ſit. Quanquàm id non interdiu, ſed noctu
factum eſſe ſuperior Oppij deſcriptio oſtendat.

Quarum laudibus, ac uirtute.) Nemo non
uidet orationem illam, & totũ librum
mutilum eſſe. Neq; enim illa per-
fecta eſt, neq; hic ut de-

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Müller, Johannes

In C. J. Caesaris ... Commentaria de Bello gallico ... Annotationes

Basilea 1543
A.lat.b. 198
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00016556-3
VD16 M 6588